

PALAESTRA

LATINA



ANN. XXXVIII (Fasc. I) - N. 201

M. MARTIO — A. MCMLXVIII

P A L A E S T R A L A T I N A

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.[•] Claret, 37 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: M. Molinam, C.M.F., ALAGON (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 peseti ; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191.- 1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXXVIII (FASC. I) - N. 201

M. MARTIO — A. MCMLXVIII

| | |
|--|----|
| A. PAGANO, <i>De nonnullis inscriptionibus ad Benedicti XIV Lambertinii laudes celebrandas a doctis Neapolitanis Sacerdotibus exaratis</i> ... | 1 |
| J. MORABITO, <i>Regna Mortis</i> ... | 7 |
| J. MARINELLI, <i>De re cosmonautica</i> ... | 11 |
| J. M. MIR, C.M.F., <i>Scribe latine. — Descendimiento de Cristo a los infiernos</i> ... | 17 |
| N. MANGEOT, <i>Cicero epistulis illustratus</i> ... | 27 |
| AB ACTIS INSTITUTI STUDIORUM ROMANORUM, <i>Per Orbem</i> ... | 33 |
| BIBLIOGRAPHIA, <i>J. M. Mir, J. L. Latorre, J. Jiménez, D. Mosaka, P. Herranz</i> ... | 37 |

P A L A E S T R A L A T I N A

L I T T E R A R U M L A T I N A R U M C O M M E N T A R I I

A S O C I I S C L A R E T I A N I S E D I T I

ANN. XXXVIII (FASC. I) — N. 201

M. MARTIO

A. MCMLXVIII

DE NONNULLIS INSCRIPTIONIBUS AD BENEDICTI XIV LAMBERTINII LAUDES CELEBRANDAS A DOCTIS NEAPOLITANIS SACERDOTIBUS EXARATIS

«Prospero Lambertini del suo settecento possedè il meglio delle qualità naturali ed acquisite, mentre negli studi e negli uffici superò nettamente la sua epoca, ed in qualche lato fu precursore delle seguenti» (Pius XII).

Divini Artificis opera, quam admiramur in omnibus rebus ab eo creatis, in nonnullis hominibus magis quam in ceteris, aliquando imprimitur. Ingenii vis maximum signum plerumque esse solet summi numinis benevolentiae erga hominem illum quem exornatum voluit uberrimis mentis dotibus quibus fructus, litterarum scientia, philosophiae lucubrationibus, poesis dulcissimis foetibus, non solum sibi tum etiam et suae et insequentium aetatum hominibus niteat. Qui impressum in se habeat signum divini, quo nihil praestantius, muneris ob fulgidam ingenio profectam lucem atque in omnia quae circumstant insilientem cum sidere comparatur. Sidus enim fidei, pulchritudinis, ingenii, animi dulcedinis dotes in se continet, quippe quod et fulgide micet et viam, sublime positum, ostendat.

Lambertinius, ille Bononiensium Archiepiscopus, qui, ad summi Pontificatus fastigium evectus, Benedictus XIV vocari voluit, in pon-

tificum annalibus inter celeberrimos Ecclesiae Antistites fulgido lumine splendet: In ejus ingenio majus sui signum divinus artifex imprimere dignatus est ut insignis vir, cui Deus tam benigne favisset, hominibus a Deo accepta dona largiretur eorumque agmini, validus dux, praeesset.

Litterarum atque juris peritissimus nec non in theologica scientia admodum versatus, doctrina tam eminuit ut et ipsi qui catholicam religionem despicerent suisque consiliis ac rationibus in eam pertinaciter pugnarent, admiratione ob innumerias Pontificis dotes affecti, eum colerent vererenturque. Lambertini omnibus suae aetatis hominibus praestitit; nomen ejus laudem atque honorem ubicumque resononare videbatur; excelsa mens, omnium scientiarum progressui favens, ad cultum humanitatemque tendebat.

«Quis non audivit», haec Didacus Vitriolius in oratione quae «*Romani Pontificatus laudes*» inscribitur, «de incredibili Bononiensis illius coetus ad scientiarum naturalium laudem progressu, admittente imprimis Benedicto XIV Lambertino?».

Hominum egestate afflictorum flagrantissimo amore captus, Lambertini, optatissimis legibus, pauperibus consuluit eorumque jura, ut aequanimem juris peritum decet, fermo animo semper vindicavit.

«Deverterat in villam Benedictus XIV, procul ab urbano strepitu, ruris amoenitatibus aliquantulum indulgens. Ecce autem puerorum mulierumque inops multitudo fit ei obviam, nec quicquam obstante praetoriano milite, qui Pontificis latus de more tegebat. Sublatis in caelum manibus queri omnes: Breves sibi fame macieque confectis, per demessos agros, excursiones interdici, dum messoriae corbes undique circumferrentur, et plaustra spicarum culminibus onusta striderent. Hic comploratio fiebat, ut obortas Lambertino prae aegritudine lacrimas fuisse memorant, domumque reversus continuo stilum arripuit, ac specimen illud litterarum ceris mandavit, quo nihil plenius, nihil subtilius. Ibi enim, praeter alia multa e sacris voluminibus deprompta, Moabitidis mulieris exemplo proposito, praediorum dominos graviter copioseque hortabatur, ut tenuioribus potestas fieret spicis, quae inductas messorum falces effugerant, famem explendi»¹.

Quem Vitriolius ad puerorum mulierumque inopem multitudinem, «nec quicquam obstante praetoriano milite», comiter accedenter nec non «specimen illud litterarum ceris», domum reversum, illi-

1. Cfr. ANTONIUS PAGANO, «De Didaci Vitriolii oratione quae *Romani Pontificatus laudes* inscribitur», ex II libello commentariorum qui *Latinitas* inscribuntur mense aprilii anno MCMLXIII edito. Cfr. praesertim: «Didaci Vitriolii, equitis ordinis Mauritanii, de laudibus *Romani Pontificatus*, Neapoli, ex typographeo Fibreniano, MDCCCL.

co mandantem virum inducit, omnes docti tum verebantur claris ingenii luminibus («potens in folio» nuncupari solebat), tenuiorum contra turba diligebat qua, cum humilibus versans, tantam animi simplicitatem naturaliter ille ostendebat ut, sublimis solii, ad quod ascenderat, oblitus, obviam subridens eis iret deque corum necessitatibus affabiliter colloqueretur. Clarissimis viris comitas ex ipsa animi magnitudine oritur; nam quo quisque melior, eo in humiles remissior, quo magis vanus, eo magis inani superbia tumet. Cum multa fecisset, quibus cur se jactaret haberet, numquam tamen semetipsum extulit, quin etiam contemnere haud dubitabat eos qui jactationem de se tollerent.

Attamen eximus vir tam multa scripsit ut haud credas hominem unum, in cuius umeros tot onera incumberent, tantam edere potuisse operum copiam in quibus legendis patet quam peritus rei theologiae vel juridicae magnus Pontifex fuerit quibusque ingenii luminibus Ecclesiae gubernaculum retinuerit. Scripta quae ad caelitum sanctorum canonizationem et ad Synodus diocesanam pertinent, ne de bullario loquar, monumentum «aere perennius» merito haberi possunt, quippe quae, cum duo saecula jam praeterlapsa sint postquam in lucem sunt edita, adhuc multo peritorum profectu legantur nec ulla eorum inveniatur pars quam his temporibus neglegendam ducas.

Romani Pontificatus gloria ad excelsa fastigia per Lambertinum pervenit (Quis oblivisci potest Voltaire ipsum, qui religionem magno despectui habebat atque omnia quae ad Deum pertinerent pertinaciter irridebat, Eum esse veritum?) ac tantam attigit laudem ut, si Lambertinum digne laudare velimus, eodem modo quo de M. T. Cicerone Livius affirmat, Lambertinio laudatore opus sit.

Vita defunctus optimus Pontifex homines tamquam patre orbatos deseruit; maeror omnes invasit erga Bononiensem virum qui Ecclesiam collustraverat. Ut exemplum de insignibus Benedicti XIV laudibus proferam, nonnullis inscriptionibus utar, quas Neapolitanorum Archiepiscopus Cardinalis Antoninus Sersale, ob solemnia defuncti nuper Pontificis funera, in metropolitana ecclesia celebranda perfici jussit.

Inscriptiones, quae, ab humanissimis viris exaratae, res a Pontifice gestas laude extollunt, in ducem editae sunt in eo libro qui inscribitur *«Ultimi ufizzi renduti alla memoria di Benedetto XIV P.O.M. in Napoli nella chiesa metropolitana dall'Eminentissimo e Reverendissimo Signor Cardinale Antonino Sersale Arcivescovo a di XXII Maggio CCCLVIII», in Napoli presso Novello de Bonis stampatore arcivescovile*. Hoc volumen, ducentis annis jam vetustum, ab exoptatissimo amico dono ad me missum, libenter accepi praesertim ob inscriptiones quae in eo continentur. Eas utilitati lectoribus nostris esse ratus refero.

Alexius Simmacus Mazzochi, metropolitanae ecclesiae canonicus nec non regius interpres Sacrae Scripturae in alma neapolitana studiorum Universitate, litterarum peritissimus, haec in sacram aedem ingredientibus legenda dicavit:

BENEDICTO XIV
 PONTIFICI MAX. LAMBERTINO
 DIVINI HUMANIQUE JURI AD MIRACULUM
 UNI POST HOMINUM MEMORIAM PRUDENTISSIMO
 PLURIMISQUE A SE SCRIPTIS OPERIBUS CELEBERRIMO
 SCIENTIAE VERO DE CONSECRATIONE SANCTORUM
 AB IMIS FUNDAMENTIS CONDITORI
 POST QUIDQUID SUB CAELO EST CHRISTIANI NOMINIS
 QUAMVIS ALIENORE TEMPORE
 PROSPERE PER ANNOS XVIII GUBERNATUM
 POST FIDEM ADSERTAM PROPAGATAM RELIGIONEM
 SANCTIONES ECCLESIAE SALUBERRIMAS PROMULGATAS
 TOTQUE DEI FAMULOS CAELESTI CURIAE ADSCRIPTOS
 POSTREMO EX SAECULO PROCELLIS
 AD AETERNAE REQUIETIS PORTUM INVECTO
 ANTONINUS CARD. SERSALIUS ARCHIEP. NEAP.
 PARENTI SUO BENE MERENTISSIMO
 JUSTA PARENTALIORUM OFFICIA
 PERSOLVIT MORE MAJORUM.

Ab eodem Alexio Simmaco Mazzocchi quae sequuntur exaratae inscriptiones:

BENEDICTO XIV
 PONTIFICI SCIENTIA ET APOSTOLICIS VIRTUTIBUS VERE MAXIMO
 ANTONIUS SERSALIUS NEAP. SACERDOTII INFULIS
 PURPUREOQUE GALERO AB EO EXORNATUS
 QUOD UNUM POTEST SOLEMNI FUNERIS APPARATIONE
 AD ELICIENDA PRECUM SUFFRAGIA COMPARATI
 FILIUS PATRI PARENTAT DE SE OPTIME MERITO
 INTERIM AETERNUM SIBI IN LUCTU SILENTIUM
 OB TANTI PARENTIS AMISSIONEM RESERVANS.
 . . .
 NULLUS TAM INACCESSUS TERRARUM ANGULUS
 QUO NON BENEDICTI SEDULITAS
 CHRISTI NOMEN INVEXERIT
 EXTREMA INDIARUM ATQUE SINARUM IMPERIA
 SUBMISSIS SUBINDE NOVIS
 APOSTOLICORUM HOMINUM SUPPLEMENTIS

EX HOC ETIAM SINENSI NEAP. COLLEGIO LECTIS
INGENTI CUM FOENO RE EXCOLUIT
IN COPTORUM RUTIENOR. MELCHITAR. MARONITARUM
ECCLESIIS PLURA CORREXIT
QUIDQUID USQUAM SCHISMATE
QUIDQUID ERRORIBUS POLLUTUM SENSIT
RESTITUERE SUO NITORI SATEGIT.
IDEA IN VASTISSIMAS THIBETI PROVINCIAS
ALIOSQUE SEPTENTRIONIS POPULOS
EVANGELIO JANUAM PATEFECIT
NULLAS ADEO QUAMVIS EFFERATISSIMAS GENTES
ST MINUS PASSIBUS NON STUDIO SALTEM
ANXIAQUE CURA PERVASIT
UT UNIVERSOS SI POSSET
IN CHRISTI CAULAM COMPELLERET.

Doctissimum sacerdotem Salvatorem Aula, in sacro archiepiscopali ephebeo eloquentiae praeceptorem tuendique hercolanenses antiquitates regii consessus academicum, de claris Lambertinii laudibus alias inscriptiones, quae quattuordecim sunt, Cardinalis exarare jussit. Quattuor, exempli causa, refero.

UT INGENUARUM ARTIUM NITOR
SPLENDESCERET QUOTIDIE MAGIS
NEVE UNQUAM OBDUCTO SITU
HOMINUM INCURIA OBSOLESCERET
BENEDICTUS XIV
ACERRIMUS EARUNDEM CULTOR ET VINDEX
QUATTUOR IN URBE ACADEMIAS
TOTIDEM DOCTRINARUM GENERIBUS DESTINATAS
CONSILIO SALUBERRIMO INSTITUIT
QUAS QUOAD VIXIT MIRIFICE FOVIT
SUAQUE PRAESENTIA INCITAVIT.

ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE NERVUS
SI QUA PARTE ELANGUISSET
EI PARTI PONTIFEX PROVIDENTISSIMUS
CITO OCURRENS MODO FOMENTIS
MODO IGNI FERROQUE
PRIORI SANITATI RESTITUIT
IDEM OPINIONUM DISCIDIA
ECCLESIAM NON SINE CHARITATIS DISPENDIO
FOEDE IN DIVERSA TRAHENTIUM
COMPOSUIT.

Inclitus Pontifex, «consanguinitatis jura oblitus», virtutem unam, ceteris neglectis rebus, excoluit:

MONITA DIVINI MAGISTRI SECUTUS
BENEDICTUS XIV
NON RESPEXIT CARNEM ET SANGUINEM
SED JURA CONSANGUINITATIS OBLITUS
DOMUM LAMBERTINAM VETUSTATE IMAGINIBUSQUE
INTER ITALICAS FLORENTISSLIMAM
NEC CENSU NEC HONORIBUS AUXIT
SOLAM NEMPE VIRTUTEM
TAMQUAM CERTISSIMUM PATRIMONIUM
SUIS COMMENDASSE
VIVUS MORIENSQUE CONTENTUS.

Propagandae fidei summo consuluit studio:

BENEDICTUM XIV
CUM PROPAGANDAE FIDEI
TUENDAE DISCIPLINAE
CORRUPTELIS ERRORIBUSQUE PROPULSANDIS
NULLO NON TEMPORE ADVIGILASSET
DEMUM PRO DEI ECCLESIA STRENUE DECERTANTEM
SUPREMUM OCCUPAVIT DIES
SIC CUI VITA LABOR PERPETUUS FUERAT
MORS INTER LABORES OBITA
SEMPITERNA REQUIEM PEPPERIT.

ANTONIUS PAGANO, Professor
Via Leonardo da Vinci, 8
CATINAE (Catania-Sicilia) in Italia

R E G N A M O R T I S

Lunam nitentem, dum peragrans polum
corusca pendet, talia jurgia
audire sum visus repente
cum jaceret veluti dolore

commota (fictis credere si licet
quicquam poetis, credite, posteri!)
terrasque per noctem supinas
haud solitam bibere aure vocem.

* * *

“ Humana proles, sat mihi jam fuit,
multos amores cernere si tuos
de sede tam summa valerem
et fidei repetita verba

captare. Non jam pondus erit satis
regni marini tollere vi mea
ad tempus, ut rursus recumbat
uidaque litora mox relinquat.

Natura quaenam sit mea discere
optatis; usi luminibus vitro
atque arte confectis, meorum
planitiem studiustis olim

solum locorum querere, nomina
hinc multa multis addere montibus
nec voce pontum ullum suapte,
et sine aqua, sinitis carere.

At nuper istinc per liquidum aethera
glandem rotundam pondere non gravi
vidi, igne cum ferretur acri,
has gelidas properare ad oras

sensimque certo tempore, quo magis
huc prosiliret, pandere lumen ut
captaret ignotam locorum
hanc faciem propriorem et undis

ac sucinae artis vi subita procul
jactaret hujus sedis imagines
vobisque, homulli, mox liceret
certius has oculis videre.

Ignota visens rursus, at ultimum,
lumen reclusit, reddidit illico
quae creverat, fractisque tandem
machinulis jacuit perempta.

Qua mole constem, quae juga montium
hic celsa surgant, flumina num fluant
e montibus, passimve frondes
hic virides moveantur auris,

haec nosse vultis. Pectora scilicet
infinitatis magnus amor quatit...
Quid? Mortis hic regnum patentis!
Cur petitis nigra regna Mortis?

Ex quo, remotis dissita sedibus
Terrae¹, volutor per spatum poli,
hinc funera et clades et arva
despicio calido cruento

conspersa vestro. Funera, tam brevi
vita fruentes, in fera tenditis,
quaeque imminet cunctis severa,
hanc properare gradus jubetis?

Quaerenda in ipsis munera finibus,
quos mente toti jam generi Deus
cauta dedit, telluris usum
cum soboli tribuit recenti.

1. Sunt qui censeant Lunam Terrae partem olim fuisse, a qua ingentibus viribus sejuncta recesserit.

Hinc quid studetis carpere? Quid boni
vobis futurum fingitis anxii?

Qui Mortis haec aeterna tangat
regna suis tunicis amictus?

E glandis audax prodeat angulo
deambulatum solus in aethere
atque alteram tangat volantem
per spatium sine fine caeli.

At daedaleum post iter huc ubi
caeli viator lapsus erit timens
primusque tantam vastitatem
conspiciet pavidis ocellis,

quid hinc? Beatas divitias domum
deferre quasnam gestiet inclitus?
queis frigora atque aestus nefandos
artibus hic fugiet paratus?

Hic regna Mortis! Fluminibus vagis
non haec secantur, nullaque frondibus
ornatur arbor; non apricis
floribus haec loca conteguntur;

non ullus aer, viscera qui meet
membrisque vires suppeditet novas;
hic nulla camporum voluptas,
non volucres gelidive fontes.

Nam solis aestus nunc furit igneus
totanique torret, post modo me gelu
his rupibus frangit vetatque
vel tenuem viguisse vitam.

Immane quantum taetra silentia,
dum mutor alto pendula in aethere,
ubique me vincunt: patere
nil nisi magna sepulcra dicas.

Nexus ut arcti dura ligamina,
queis vineta Terrae semper adhaereo,
effringere hic denum liceret,
solis et igniferi profundas

labi in cavernas! In spatiis poli
horrentis ictus innumerabiles
irent per immensum favillae
et nova sidera subsilirent.

At vita quaedam, nunc ubi Mors viget,
extaret, arvis gramina surgerent
atque arbores sensim scaterent
cantibus atque avium volatu.

Vos hinc, homulli, quid petitis globis
in summa jactis aetheris? Algidi
nemo ausit ingentis sepulcri
huc properans violare regna,

ne Mortis, auris deficientibus
pulmone siccus, pondera sentiat
hic illoco mittatque Terrae,
immemor heu redditus, salutem ”.

* * *

Risu maligno flevit et obviis
vultum nitentem nubibus abdidit:
quae dixerat ventus pererrans
arripuit tenui susurro.

JOSEPHUS MORABITO, Professor
Via T. Cannizzaro, 206
MESSANAE (Messina) in Italia

DE RE COSMONAUTICA

(pars tertia, quae alteram, in n. 199 editam, sequitur)

XXXI. — Tertio idus septemb. MCMLXVII: tertia nondum exacta vigilia, vel potius —ut vulgo dicunt— tertia fere hora post medium noctem, specillum (ital. «sonda» dictum) e regione «Cape Kennedy» appellata, quae ex Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus jam toto orbe innotuit, quinto per inania propulsum spatia, in lunae superficie se levi lapsu, ut jam alia hujusmodi tria, depositum. Idem est illi nomen, quod et ceteris jam antea projectis: «Surveyor» cuius volatum minus minusque velocem, usque ad undecimum vix in horas km., sensim fieri oportuit, ne ulla videlicet ejus pars lunare solum violenter attingeret. Leniter enim in planicie, quam «Mare Tranquillitatis» —etsi pro soli figurae vocabulum dissonet— peritissimi sideralis disciplinae viri jam appellare sunt soliti, «Surveyor» recubuit: in dextera scilicet lunae plaga ad Terram versus spectante E tribus pedibus, quos speculatoria hujusmodi machina gestat, unus perspicue conspici potest in prima observanda imagine ex eis, ope lucis impressis, quas eadem machina e tam longinquo jam misit. Altera imago quiddam circuli figura definitum repraesentat, in quod studiosi viri jam jam scrutandum incumbunt; quorum praecipuum id est consilium: ut lunare solum, electrochimicae disciplinae ope, temptent atque experiantur.

XXXII. — Quintodecimo kal. nov. MCMLXVII, primo mane (ital. hora quinta ac dimidia) laetum exoptatumque est allatum nuntium: quandam speculatoriam machinam a russicis rei cosmonauticae peritis viris, quatuor abhinc menses in aetheria spatia propulsam, cui nomen «Venus IV», Veneris astri ex ipsorum sententia et juxta praevisa tetigisse oras. Proposita, verum, haud plene prospere cesserunt: nam, cum paucas notas per aetherias undas transmisisset, ad crassum atque efferventem aera attinentes, machina nihil sui amplius indicii dedit. Doctissimi viri atque impigri habilesque opfices nihil jam dubitant quin ingens propellendi vis machinam in Veneris superficiem conlineaverit. Non desunt tamen qui profiteantur eandem, gravi collisam ictu in venusinas oras, diffissam omnino jacere, vel potius aliquo hiatu aut crassi pulveris acervo absorptam penitus esse. Nihil, ceterum, abest quin, ob quoddam adapertilis umbellae vitium, temperari velocitas nequiverit, sub ipso paene temporis momento, quo ma-

china Veneris oris appropinquaret. Unum pro certo tamen habendum: exacto quatuor mensium itinere, speculatoriam «Venus IV» plus quam octingenties centena milia km. a Terra distare (vulgo nempe ital.: «più di ottanta milioni di km.»).

XXXIII. — Quartodecimo kal. nov. MCMLXVII, primo fere vespero (ital.: «duodevicesima ac dimidia hora»), sex et triginta interjectis horis ab altera speculatoria machina propulsa a russicis, hujusmodi alteram machinam, «Mariner V» dictam, quatuor tantum milium km. intervallo ab astri Veneris orbe pervenisse allatum est nuntium. Eandem e primaria sede, apud Foederatas Americae Civitates ad id ipsum constituta, doctissimi rei cosmonauticae viri quatuor abhinc mensibus —eodem nempe tempore, quod jam modo de russico jactu memoravimus— non in ipsam Veneris superficiem, sed in viciniora conlineaverant. Omnia, igitur, americanorum proposita —ut ex Actis Diurnis colligi potest— prospere successerunt. De aeris natura, quo Venu sinus orbis involvitur, sive crassus idem est repertus sive hydrogeno, oxygeno, azoto praeditus, quaedam instrumenta, quibus est aeria machina instructa, certiores nos procul dubio sunt factura. Communis, ceterum, opinio est, ut exilis habeatur spes aera purum, pro humana degenda vita spirabilem, in Veneris astri solo recipi posse. Id tamen nostra prae ceteris interest, ut una jam nunc relinquatur machina —sit sane americana—, cujus opera certiores nos fiamus de aliis indicis, quae forte colligi possint.

DE SPECULANDO «VENERIS» ORBE¹

Haud semel, immo frequens vix lunae lambere quivit
 Oras nauta volans: proxima meta fuit.
 Ast hodierna minus: metirier ecquid oportet?
 Machina nam «Veneris» tarda peregit iter.
 Crastina plura dies etiam de nubibus astra
 Edet: Iapeti quid genus, ergo, domet? ²

1. Quinto prius, quarto deinde decimo kal nov. MCMLXVII a russicis atque americanis rei cosmonauticae peritis quaedam machina est in aetheria projecta spatia «Venerem» stellam speculatura: alterius «Venus IV», alterius vero «Mariner V» nomen. Quarum, tamen, prior, post nonnullas transmissiones, jam nihil sui indicii dedit, cum altera permultas alias notas usque transmisisset. (v. descriptionem n. XXXII).

2. Iapeti... genus = v. HORAT.: Carmina - I,3,27. Jam vulgo Iapeti fabula innouuit, cuius filius, Prometheus, «audax ignem aetheria domo subductum gentibus intulit».

Milibus e multis astris, quae semper in orbe
 Caeli templa terunt, nocte dieque vaga,
 Alterius demum faciem temptare specillo³
 Nunc contendit homo: num libet ista mora?
 Lunae numquid iter cælestis forte viator
 Desit impatiens? Longius immo petit!
 Quae tamen ex astris super aut sub sole moventur,
 Pro tanto spatio pars quota capta patet!
 Vovet saeclorum seriem sine fine pererrans
 Sol, prius ac pateant abdita quaque latent.
 Ut magis ac magis haec aetas humana virescat;
 Non ita tot, tamen, ut sidera nosse queat!
 Immensis spatiis terrestria fata repugnant:
 Celsum quisque tamen speret adire polum!

XXXIV. — Sexto kal. nov. MCMLXVII: imaginem, lucis ope impressam, quaedam speculatoria machina, «Mariner IV» dicta, tres circiter abhinc annos per inania projecta spatia ex «Jet Propulsion Laboratory», seu ex Officina speculatoriis propulsandis machinis in California constituta, quae est Foederatarum Americae Civitatum regio, in Terram transmisit, adhuc errantis stellae (seu «planetae») Martis orbem circumiens. Jampridem, nempe pridie idus jul. MCMLXV, septem mensium itinere semisque peracto, quindecim ejusdem stellae imagines eadem machina transmiserat, quarum nunquam quidem est nuntium datum. Quomodo autem, tanto interjecto temporis intervallo, sextodecima haec imago transmitti potuit? Terraे propinquioris vide-licet volatus opera: nam, nuper demum machina speculatoria «Mariner IV», Martis orbem circumvolare pergens, ad nongenties vix centena milia km. (vulgo, ital.: «circa 90 milioni di km.») a nostro «planeta» distabat. Quae imago non diversas cernendas res ostendit atque antecedentes ceterae: comprobat enim superficiem martianam non aliam esse —prima saltem specie— atque lunarem: hic nempe quodammodo perviam, illic imperviam; foveis ad instar craterum, ex vulcania forsan eruptione cavatis aut ex aerolithum fragmentis ab alto aethere delapsis, passim, crebro potius, consparsam. Cosmonauticae artis periti viri, satis suae operae compotes, profitentur hujus machinae «Mariner IV» tenacem esse tamdiu ac perlucidam servatam memoriam, quae sane electronica vi efficiatur: quod ipsa recens imago non minus ac ceterae antecedentes nitida plane conspiciatur.

XXXV. — Sexto ac deinceps tertio kal. nov. MCMLXVII: russici

3. Alterius = vix alter, post Lunam, est Veneris orbis, quem cosmonautae speculari aggrediuntur. Quot alii orbes sunt eis reliqui? Ecquis enumerare potest?

rei cosmonauticae periti duos satellites, hominis affabre manu factos, propulerunt, non solum Terrae circumferendae causa, sed ut novum experimentum perficerent: qua, nempe, ratione ex duobus vehiculis, scilicet «Cosmos 186» et «Cosmos 188» —quod ad hanc rem attinet— aerii spatii iter agressis, unum, jussu e Terra captato, postquam alterum convenerit, cum hoc arctius congredi possit; aliquamdiu autem post, re perfecta, e priore disjungi iterque separatim recipere possit. Experimentum prospere cessit, et magni momenti haberi posse nonnulli docti arbitrantur: quod, cum prius vehiculum in alterum inserendi facta sit facultas non per hominis manuum laborem, verum per quasdam machinulas in Terra electrica vi actas, hujusmodi conjunctio, artificio confecta, efficiat ut multum et temporis et laboris cosmonautae in itinere parcant. Expeditius, praeterea, fieri potest —aiunt quidam— ut «stationes», pro suo nomine, constituantur, quas futuri cosmonautae tamquam officinas aut plateolas adhibere possint, unde extremum iter, vel potius volatum, aggressuri sint, se, peculiari capso involutos, in lunare solum conlineantes. Non desunt, ceterum, qui vehicularum conjunctionem ac sejunctionem non sine aliqua ipsius hominis opera effici posse profiteantur.

XXXVI. — Septimo idus nov. MCMLXVII: hora, apud Italos, fere nona ante meridiem (tertia latitudinis more computata), e Foederatarum Americae Civitatum regione, quam «Cape Kennedy» appellant, machina quedam speculatoria (ital. «sonda»), ignivoma propellente vi, in lunare solum est conlineata, cui nomen «Surveyor VI». Eidem, utpote animatae rei, cosmonauticae artis peritissimi viri id commiserunt: ut plagas nondum exploratas, per appositam «telethecam», deprehenderet et lucis ope imprimeret, ad locum quam opportunissimum cernendum ac statuendum pro futuris cosmonautis, iis quidem, quibus primum ad lunares oras erit appellendi facta facultas. Plaga, in quam maxime hujusmodi scientiis imbuti viri ipsam machinam conlineaverunt, in media ipsius lunae facie porrigitur, quae e nostra Terra cerni potest, quaeque «Sinus Medii» proprio nomine declaratur. Doctos viros metus, porro, non latuit ne speculatoria haec «statio», ob iniquum loci statum, lapidosum nempe et hiatibus ex vulcania forsitan origine frequentem, discindi aut, per ictum violentum, diffindi posset. Tres, ceterum, ex «stationibus», quas dicunt, jam ante in immensum propulsis spatium, in plagas praestitutas, nempe —ut rectius definiantur— in «*Mare Tranquillitatis*» atque «*Oceanum Procellarum*» —quibus inter doctos nominibus convenit— optime sunt conlineatae; quin etiam leniter lunare solum attigerunt. «Surveyor VI» parva quadam officina, ad res chimica arte conficiendas, est instructa, absque ulla hominum opera acta; «teletheca», insuper, pariter ac superiores aliae, est praedita, quae, per speculum circum ver-

sum, ipsi summae tripedali machinae impositum, longius latiusque cujusque, utpote vicinioris, exploratae plagae imagines in Terram mitendas imprimat. Sexagesima, ergo, hora exacta, ipsa videlicet qua praestitutum erat, IV idus nov., statio «Surveyor VI» leni descensu in ipsa media lunae facie, quae quidem a terrigenis plerumque cernitur, se depositus. El primis satellitis imaginibus, in Terram transmissis, conspici potest «Sinus Medii», quem dicunt, regio aridior, plateis depressis, in longitudinem patentibus, frequens. Edita admodum loca, praeterea, mirum profecto, discerni possunt, saxeа prorsus, immo praerupta, proxima plagae, quam «Sinum Centraleм» dicunt; quae, cum nunquam in imaginibus ante impressis perspicue viderentur, ex vulcaniis eruptionibus recentius effici potuisse opinio vulgo conicitur.

XXXVII. — Quarto idus nov. MCMLXVII: primo fere mane, ex illa, quam «Cape Kennedy» dicunt, regione apud Foederatas Americae Civitates, missile, «Saturnus» nomine, quo nullum majus a quaquam totius orbis civitate, est in immensum projectum spatium: vicies enim et quater (centena milia) librarum pondo est (ital.: «140 tonnellate»), ducenta quadraginta cubita altum (ital.: «120 metri»), ita ut sextam ac tricesimam aedificii contignationem aequet. Quod missile ubi primum bis Terram se circumegit, tertia contignatio ab eo se sejunxit, capsum, quem vulgo «navem» appellant, «Apollo» nomine, duodevinti milia km. in altitudinem propellens eumque in eodem orbe constituenta, quo ipse «Apollo» constitueretur, si ad Lunam re vera conlinaretur (quod est in votis). Res, ut videtur, admodum ardua, dummodo consideres decuplo majus esse hoc missile quam alterum a russicis superius propulsum, ejusdemque velocitatis tantam esse vim, ut decem vix diebus superficiem lunarem attingere possit. Tanti momenti haec est napis — aiunt hujusmodi rei peritissimi viri —, ut et posthac eadem adhiberi possit, quoties scilicet quaevi aetheria itinera suscipere cosmonautis placuerit, corpora caelestia (ex. gr. Martem, Venerem, etc.) explorandi causa. Tres, praeterea, capsulae in eadem nave «Apollo» sunt conlocatae, cerebra — ex electronica ratione — simulantates trium cosmonautarum, Schirra videlicet, Cunningham, Eisele, quibus primis «animatum» volatum (in proximum — ut probabilius videatur — februarium mensem futurum) experiendum fuerit. Ubi primum autem, per jussum e Terra missum, motoria «Saturni» machinula, quae ad tertiam quidem missilis partem attinet, agri rursus coepit, napis «Apollo», itinere deverso, in Terram, loco praestituto, in Oceani Pacifici nempe aequora, adapertilis umbellae ope, rediit.

XXXVIII. — Quintodecimo kal. decemb. MCMLXVII: hora italica circa meridiem, americani viri, rei cosmonauticae periti, qui in California (Foederatarum Americae Civitatum regione) officinae «Jet Pro-

pulsion Laboratory» (ex proprio indigenarum sermone) praesunt, ad speculatorias propellendas machinas constitutae, novum perfecerunt experimentum: tres motorias machinulas, seu propulsores tripedalis specilli (ital. «sonda») «Surveyor VI», superioribus diebus (quinto idus nov.) projecti, rursus ignifera vi excitaverunt, ut idem «Surveyor» e superficie lunari, in qua jam se leniter posuerat, altius tolleretur et aliquantum e suo loco discederet. Quod felici cessit exitu: nam, «Surveyor» e lunari solo se levavit simulque sex cubita longe transtulit, ita ut manifesta faceret vestigia a se ipso antea impressa: quae attente a doctis cerni deinceps poterunt, ut subtilius ac magis perspicue definitur num solidum re vera sit lunare solum.

JANUARIUS MARINELLI, Professor
V. Salvator Rosa, 241
NEAPOLI (Napoli) in Italia

SCRIBE LATINE

III

DESCENDIMIENTO DE CRISTO A LOS INFIERNOS

Luego, todos aquellos infernales ²⁹ atormentadores ³⁰, en medio ³¹ de sus oscuridades ³² y tinieblas, comenzaron ³³ entre sí ³⁴ a murmurar diciendo ³⁵: Quién es éste tan terrible ³⁶, tan poderoso y tan resplandeciente? Nunca ³⁷ tal hombre como éste ³⁸ se vio ³⁹ en nuestro infierno ⁴⁰; nunca en estas cuevas ⁴¹ tal ⁴² persona ⁴³ nos envió hasta hoy ⁴⁴ el mundo ⁴⁵. Acometedor ⁴⁶ es éste, no deudor; quebrantador ⁴⁷ es, no pecador; juez parece ⁴⁸, no culpable ⁴⁹; a pelear ⁵⁰ viene, no a penar ⁵¹. Decidme ⁵²: ¿dónde estaban nuestros guardias ⁵³ y porteros ⁵⁴ cuando este conquistador ⁵⁵ rompió ⁵⁶ nuestras cerraduras ⁵⁷ y por fuerza ⁵⁸ entró ⁵⁹?

¿Quién será ⁶⁰ éste, que tanto puede ⁶¹? Si éste fuese culpado ⁶², no sería tan osado ⁶³; y si ⁶⁴ trajera alguna oscuridad ⁶⁵ de pecado, no resplandecerían ⁶⁶ tanto nuestras tinieblas con su luz ⁶⁷.

Mas si es Dios, ¿qué tiene que ver ⁶⁸ con el infierno? Y si es hombre, ¿cómo tiene tanto atrevimiento ⁶⁹? Si es Dios, ¿que hace ⁷⁰ en el sepulcro? Y si es hombre, ¿cómo ha despojado nuestro limbo ⁷¹?

¡Oh Cruz, que así has burlado ⁷² nuestras esperanzas ⁷³ y causado nuestro daño ⁷⁴! En un madero alcanzamos ⁷⁵ todas nuestras riquezas ⁷⁶ y ahora en un madero las perdimos ⁷⁷.

(Fray LUIS DE GRANADA, *Libro de la oración y meditación*, I, c. 3, t. II; cfr. BAC, *Obra selecta*, p. 869).

CRISTO DISCENDE ALL'INFERNO

Subito tutti quelli infernali ²⁹ tormentatori ³⁰ in mezzo ³¹ della loro oscurità ³² e tenebre, cominciarono ³³ fra di loro ³⁴ a mormorare dicendo ³⁵: Chi è questo così terribile ³⁶, così potente e così risplandeciente? Non mai ³⁷ uomo tal si vide ³⁹, come questo ³⁸, nel nostro inferno ⁴⁰; non mai in queste caverne ⁴¹ tal ⁴² persona ⁴³ ci ha mandato il mondo ⁴⁵ fino ad oggi ⁴⁴. Costui è aggressore ⁴⁶, non debitore; distruttore ⁴⁷ è, non peccatore; giudice pare ⁴⁸, non colpevole ⁴⁹, a combattere ⁵⁰ viene, non a penare ⁵¹. Ditemi ⁵², dove stavano le nostre guardie ⁵³ e portinari ⁵⁴ quando questo conquistatore ⁵⁵ ruppe ⁵⁶ le nostre serrature ⁵⁷, e per forza ⁵⁸ entrò ⁵⁹?

Chi sarà ⁶⁰ questo che può tanto ⁶¹? Se questo fosse colpevole ⁶², non sarebbe così ardito ⁶³, e se ⁶⁴ avesse qualche macchia ⁶⁵ di peccato, non risplenderebbero ⁶⁶ tanto le nostre tenebre per la sua luce ⁶⁷.

Ma se è Dio, che ha da fare ⁶⁸ con l'inferno? E se è uomo, come ha tanta arroganza ⁶⁹? Se è Dio, che fa ⁷⁰ nel sepolcro? E se è uomo, come ha dispolgiato il nostro limbo ⁷¹?

O Croce, che così hai burlato ⁷² la nostra speranza ⁷³, e causato il nostro danno ⁷⁴! In un legno abbiano ottenuto ⁷⁵ tutte le nostre ricchezze ⁷⁶, ed ora in un legno le perdiamo ⁷⁷.

(Cfr. *Dell'Oratione et méditatione* —1.^a parte—, trad. da Giord. B. PORTACCHI, en Venetia 1594, p. 54-55, t. II).

29. *INFERNALES — INFERNALI*: *inferorum*; saepe enim adjektivum in genetivum mutatur; cfr. «omnium oculi» [todos los ojos], «dolor corporis» [dolor corporal], *civium jura* [derechos civiles] — «omnium consensus» [consenso generale], «singulorum commoditates» [interessi particolari], «humanitatis studia» [studi letterari], «historiae fides» [veridicità storica], «hominum societas» [sociedad humana]; cfr. PAOLI, *Scriver lat.*,² & 58, p. 91; GANDINO, *Lo stile lat.*, II, 4, 1.

30. *ATORMENTADORES — TORMENTATORI*: *carnifex, icis.*

31. *EN MEDIO — IN MEZZO*: *in*; cfr. «In summo otio maximaque copia» CIC., *de fin.*, 3, 2, 7; «In maxima rerum copia aequo animo tamen vixit». — *In* omitti potest cum adest pronomen demonstrativum: «*hoc* motu atque *hac* perturbatione animorum atque rerum» CIC., *de leg. agr.*, 1, 8, 24 (cfr. GANDINO, *Lo stile lat.*, V, 3, 8).

32. *SUS OSCURIDADES — LORO OSCURITÀ*: utere numero singulari: *obscuritas*; pro adjektivo *sus* (*loro*) pronomen *is* adhibe, quod singulis vocibus praepone et cum praepositione *in* repeate.

33. *COMENZARON — COMINCIARONO*: retineri potest et latine reddi, cum sensus verbi phraseologici hoc loco non percipiatur.

34. *ENTRE SI — FRA DI LORO*: distinguas oportet *entre si* (*con se*) = '*secum, cum animo suo*', ab *inter se* = '*alius alium*'; cfr. «Cicerones pueri amant *inter se*» CIC., *ad Att.*, 6, 1, 12; «Controversias *inter se* milites habuerunt» CAES., *de b. c.*, 1, 87, 2; «compellare *inter se*; cohortari *inter se*; timere *inter se*». — Quo sensu rectius ab *invicem* et *mutuo* abstinebis —adhibentur tamen imperatorum aetate—, quae proprie significant *a su vez, alternativamente* —(ital.) *a turno*— (gall.) *à son tour, tour à tour* [non vero: (hisp.) *mutuamente, reciprocamente* — (gall.) *mutuellement, réciprocement*]; cfr. BERGER, *Stylistique lat.*,⁴ & 5, p. 51; & 29, p. 135; PAOLI, *Scriver lat.*, & 232, 4, a, 3; GANDINO, *Lo stile lat.*, IV, 1, 12; ERNOUT-THOMAS, *Synt. lat.*,² & 212.

35. *DICIENDO — DICENDO*: omitti potest, cum ejus notio in verbo *murmurare* insit.

36. *TAN TERRIBLE... — COSÌ TERRIBILE*: de ratione convertendi adv. *tan*, (*così*) cfr. supra pag. 63-64 (*Palaestra L.*, 37 (1967) 63-64). Hoc loco usurpare potes adverbium *tam* conexum cum adjektivo positivo — cum primo saltem; — tertio vero praepone *et idem, idemque* [*fulgentissimus*]; nam, cum substantivo — de quo adjективum jam praedicatum est — alia adicitur qualitas diversa vel opposita, fere *et idem, idemque* adhibetur: «Q. Scaevola peritissimus juris *idemque* percomis est habitus» CIC., *Brut.*, 58, 212; «Crassus eloquens fuit *idemque* juris peritus»; «Ego vir fortis *idemque* philosophus vivere pulcherri-

num duxi» CIC., *ad fam.*, 9, 17, 2; «Caesar, maximus imperator *idemque* orator summus»...

BERGER, *Stylist. lat.*,¹ & 36, p. 151; PAOLI, *Scriver lat.*,² & 103, p. 155; GANDINO, *Lo stile lat.*, XII, 1, 10.

37. *NUNCA — NON MAI*: adhibe *nemo homo (unquam)*, quarum vocum aliam initio, aliam vero in fine sententiae appones, quo utraque signate praestabunt in oratione: «*Nemo hominem homo agnosceret*» CIC., *de nat. d.*, 2, 38, 96; «*Ut nemo homo nisi hominis similis esse*» CIC., *de nat. d.* 1, 28, 78.

38. *COMO ÉSTE — COME QUESTO: similis*; cum adjektivo *similis* habentur: a) *genetivus*: «...*hominis similis esse*» CIC., *de nat. deor.*, 1, 28, 78; plerumque cum *pronominibus*: *similis mei, tui, nostri*: «*vestri similes*» CIC., *Phil.*, 2, 107; «*similia horum*» CIC., *de fin.*, 3, 51; et cum *veri-similis*: «*quid est simillimum veri?*» CIC., *Tusc.*, 5, 11.

b) *dativus* — non admodum frequens —: «...*quid habet simile* epistula *contioni?*» CIC., *ad fam.*, 9, 21, 1.

conferantur etiam: «*homines inter se similes*»;

«*formā similis*» (ablat. respectū seu limitationis);
 «*similis ac (atque)*»: «*Ne quod simile incommodum accideret... ac*
 superiore aestate acciderat» CAES., *de b. g.*, 8, 24, 3;
 «*simile est ac si hic mundus intereat*» CIC., *de re publ.*, 3, 34;
 «*similis ut si...*» CIC., *Cato M.*, 17;
 «*similis tanquam si*» CIC., *de div.*, 2, 131.

Cfr. ERNOUT — THOMAS, *Synt. lat.*,² & 54; & 82.

TESCARI, *Sintassi lat.*, n. 178; n. 546; n. 548.

39. *SE VIO — SI VIDE*: formulae his similibus in latinum convertuntur:

I. SI ADEST SUBJECTUM DEFINITUM: 1) *prima persona plurali*: cum is qui loquitur, in re agenda quasi praesens adest: «*quae volumus, libenter credimus*» [*se quiere, se cree — si vuole, si crede*].

2) 3.^a *persona plurali*: ut in verbis *serunt, dicunt, narrant, putant*, —i. e. *homines*—: «*si dice, si narra, si crede*».

II. SI NON EST SUBJECTUM DEFINITUM: 1) ope *quis, aliquis*: «*dicet aliquis*» [*si dirà*]; «*si quis hoc fecerit*» [*si se hace esto — si l'on fait cela*];

2) 2.^a *persona singulari, in subjunctivo potentiali*: «*videas*»; «*ibi videres*» [*si poteva vedere*], «*memoria minuitur, nisi eam exerceas*»; *multos reperias qui*. ... [*si trovano molti che...*]

3) nomine *res* adhibito: «*Cognovi... ad arma rem spectare*» CIC., *ad fam.*, 14, 5 [*sé muy bien que vamos — se va — a parar a la guerra*].

4) voce *passiva impersonali*: «*vivitur*» [*se vive — si vive*]; «*bibitur*» [*se bebe — si beve — on boit*].

PAOLI — LASINIO, *Manuale Sintas. lat.* 3, & 4.

ERNOUT — THOMAS, *Synt. lat.*,² & 170; in quibus alia invenies.

40. *EN NUESTRO INFIERNO — NEL NOSTRO INFERNO*: adhibe *apud* et dele adjectivum *nuestro* — *nostro*; aut breviore forma *apud nos*.

De praepositione *apud* cfr. PAOLI, *Scriver lat.*, & 222.

41. *CUEVAS — CAVERNE*: *specus, spelunca*; aut latiore sensu et per translationem *cavum latibulum, latebra*.

42. *TAL — TAL*: distingue: *hujusmodi [de esta clase — di questa fatta]; ejusmodi [de esa clāse, de tal clase — di tal fatta — de telle sorte, de tel genre]; talis [de tal naturaleza — de telle qualité, de telle nature]*: *talis* ad «naturam» sese refert, *hujusmodi* autem potius ad «modum».

BERGER, *Stylistique lat.*, & 5: pag. 79.

PAOLI, *Scriver lat.*, & 98, 6, n. 1.

43. *PERSONA — PERSONA*: *vir, homo*; cfr. alia de voce *persona*: PAOLI-CASINI, *Index emendatae latinitatis*, p. 41 et 130; BERGER, *Stylist.*, 1, & 5: pag. 60.

44. *HASTA HOY — FINO AD OGGI*: *ad hoc tempus*.

45. *MUNDO — MONDO*: *vox mundo — mondo — monde*, e linguis hodiernis, multimodis *latine* exprimi potest, cum diversi sensus nomini insint, eaque voce suis locis significare possumus:

1. *universo — universo — univers*: et latine redditur: *mundus* qui proprie de caelo, seu de «firmamento caeli» dicitur; *universum; universa, orum; rerum universitas*. «Innumerabilitas mundorum» CIC. *de nat. deor.*, 1, 73.

2. *terra — terra — terre [globo terrestre]*: *orbis terrarum* — qui proprius dicitur de terris *Romanorum dicioni subjectis* —; *terrarum orbis* SALLUST.; *orbis* LUCR. — PLIN.; *orbis terrae* — i. e. proprie *universa terra quam homines incolunt* —:

orbem terrarum circumire [*fare il giro del mondo*],
 orbem terrarum pererrare, pervagari [*recorrer el mundo*],
 orbis terrarum partes [*partes del mundo*],
 orbis terrarum divitiae [*riquezas del mundo*],
 in ultimas oras PLAUT. [*hasta las regiones más lejanas del mundo*],
 omnes gentium partes [*todas las partes del mundo*],
 domini terrarum [*señores del mundo — maîtres du monde*],
 dominus totius orbis — dominus rerum humanarum (INSCR.) [*señor del mundo*],
 in terris — in his terris [*en este mundo — in questo mondo — dans ce monde*],
 in ultimis terris [*en los confines del mundo — alla fine del mondo*].

3. *los hombres — gli uomini — les hommes: homines; mortales; hominum genus; omnes (homines):*

notitia hominum [*conoscenza del mondo*],
 optimus hominum [*la persona migliore del mondo*],
 omnium felicissimus [*l'uomo più felice del mondo*],
 inter omnes constat [*tutto il mondo sa che*],
 obviis id narrant [*ils le disent a tout le monde*],
 res pervulgata [*cosa que conoce todo el mundo*],
 post homines natos [*desde que el mundo es mundo — dacchè mondo è mondo*],
 post hominum memoriam [*desde que el m. es m.*].

4. *sociedad — società — société: hominum societas; coetus hominum frequentiaque; celebritas:*

veteres nationes [*el mundo antiguo — il m. antico*],
 veteres [*el mundo antiguo — il m. antico*],
 haec aetas [*el mundo actual, el m. moderno*],
 homines hujus aetatis [*il mondo attuale, odierno*],
 litterae; litterati; docti [*il mondo litterario*],
 homines elegantiores [*il gran mondo*],
 viri optimarum artium studiis eruditii [*le beau monde — il mondo dei dotti*],
 homo non imperitus morum; homo urbanus et laetus [*uomo di mondo*],
 vitare turbam; fugere celebritatem [*huir del mundo — fuggire il mondo*],
 in celebritate versari [*vivir en medio del mundo*],
 sic vita est; sic vivitur; sic fit; sic fieri solet [*così va il mondo*].

5. *vida — vita — vie: vita; lux:*

in vitam venire; nasci [*venir al mundo*],
 in lucem prodire; in lucem suscipi, edi [*venir al mundo*],
 simul atque editi sumus Cic. [*tan pronto como venimos al mundo*],
 vitae gaudia [*alegrías de este mundo*].

6. *el otro mundo — l'altra vita: inferi orum; apud inferos; vita futura; vita quae est post mortem:*

si ab inferis exsistat [*si volviera del otro mundo*],
 ad meliora profectus est [*partió para el mundo mejor*],
 (translate): incredibilia! [*cose dell'altro mondo!*],
 temere vivit [*vive nel mondo della luna*].

7. *un mundo — un mondo (quantità grandissima): copia; multitudo; vis; magna vis; pondus —eris:*

vis argenti [*grande quantità (un mondo) di argenteria*],
 pondus argenti magnum, grande [*un mondo di argenteria*],
 maximum auri pondus [*una grande quantità (un mundo) di oro*],
 rerum maxima copia [*un mundo de cosas*],
 magna hominum frequentia [*un mundo de gente*].

8. *las cosas del mundo — le cose del mondo: res humanae:*

an tu res humanas ignoras? [non conosci il mondo?],
 rerum humanarum peritus [esperto, pratico del mondo],
 rerum humanarum minime peritus, imperitus [senza esperienze nel
 mondo],
 rerum cursus [el curso del mundo],
 res externae [el mundo exterior],
 pereant omnes licet; etsi fractus illabatur orbis [aunque se hunda
 el mundo — caschi, rovini il mondo].

9. *modo de pensar — modo di pensare: saeculum; mores:*

in saeculum facit: [nel mondo si fa così],
 hi nostri mores: [così va il mondo (así pensamos; esta es la moda)].

Quod autem ad ipsam vocem latinam *mundus* spectat, haec habeto: prima christianorum aetate et Ecclesiae Patrum subtilioribus augetur significationibus, quae ad mores et ad animi vitam supernaturalem praesertim spectant —quas tantum notiones, non illas scriptorum classicorum, hic referimus—, et:

10. *mundus idem est atque homines —qui Deo opponuntur—:
 «non pro mundo rogo» Joh., 17, 9;
 ideo et:*a) *mali, perversi homines:*

«si mundus vos odit» Joh., 15, 18;

b) *hoc saeculum, hominum opinio et existimatio —opponitur caeli et animi rebus—:*

«dilectio hujus mundi» AUG. *Tract. Euan. Joh.*, 74,
 «sapientia hujus mundi stultitia est» 1 COR., 3, 19;

c) *res hominum fluxae et caducae:*

«si mundum universum lucretur» MAT., 16, 26; 1 COR., 7, 31,
 «mundo mori» HIER., EP., 39, 4;

d) *illud vitae genus quo «saeculares» uti consuescunt:*

«despectus mundi» GREG., M. EP., 12, 6,
 «pompa mundi» EP., 13, 25;

e) *cunctae res creatae peccato obnoxiae seu quae Deum aspernantur:*

«princeps hujus mundi» JOH., 12, 31; 1 COR., 2, 12; JOH., 7, 7.

11. Stus. Augustinus (*Serm. 96, 7, 8, PL. 38, 588*) *mundum* intellegit *mundum redemptum* seu homines redemptos /«Mundus damnatus: ille qui persequitur; mundus redemptus: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi»: «Persequitur mundus damnatus, persecutionem patitur mundus reconciliatus. Mundus damnatus quidquid praeter Ecclesiam, mundus reconcilians, Ecclesia».

Idem Sanctus Doctor quasdam vocis *mundi* subtilitates in eodem sermone (96, 4, 4; 7, 8) perspexit et complexus est:

«Audi mundum bis uno loco nominatum sub diversis significationibus... In mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit... Iste mundus a Deo factus est, et mundus eum agnovit. Quis mundus non cognovit? Dilector mundi, amator operis, contemtor artificis» (96, 4, 4). —«Quis est mundus qui persecutur? de quo nobis dicitur: Nolite diligere mundum, et ea quae in mundo sunt. Quisquis dilexit mundum, non est caritas Patris in eo... Ecce ambos mundos dixi, et consequentem et quem persecutur. Quis est mundus persecutus? Omnia quae in mundo sunt, concupiscentia carnis... Ecce iste est mundus persecutus.

Quis est mundus quem persecutur? Quisquis fecerit voluntatem Dei, manet in aeternum» *Serm. 96, 7, 7.*

Tandem, ut rem perficiamus, *mundus* apud bonos latinitatis scriptores:

a) *mundum universum* valet (cfr. supra, sub 1): «saepe mundus est ingens illud corpus caelo terraque constans, perfectum, undique, itaque omnia in se complexus» (FORCELLINI, s. v.);

b) ac *domicilium* seu *hominum sedem* significat (supra, sub 2): «Est enim mundus, inquit Cicero (*de nat. deor* 2, 62, 154), quasi communis deorum et hominum domus, aut urbes utrorumque»;

c) eaque voce interdum *homines* seu *mortales* designantur: «Non raro dicitur de terrarum orbe et *mortalibus*» (FORCELLINI, s. v.); quae tamen notio apud veteres poëtica videtur et ideo aptius hoc sensu «homines, genus humanum» adhibebimus.

Hoc igitur loco bene admodum voce *mundo* uteris.

Cfr. de tota re: FORCELLINI; BLAISE, *Dictionn. des auteurs chrét.*;

QUICHERAT, *Diction. français-lat.*; C. MARIANO, *Nuovo dizionario ital.-lat.*, s.v.; BERGER, *Stylist. lat.*, & 5: p. 54; GANDINO, *Lo stile lat.*, 1, 2, 23; CHR. MOHRMANN, *Études sur le latin des chrétiens*, Roma 1958, p. 334-335; KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*; BONINO, *Piccolo Antibarbarus*; Euangelium Sti. Johannis, Stus Paulus; Sancti Ecclesiae Patres et Doctores. —Novis quoque significationibus Concilium Vaticanum II vocem *mundum* auxisse videtur, quas tamen nunc praeterimus.

46. ACOMETEDOR — AGGRESSORE: *oppugnator*; *provocator*.

47. *QUEBRANTADOR — DISTRUTTORE*: *extinctor*: cfr. «*extinctor* patriae, conjurationis» (CIC.); *eversor* (CIC.-QUINT.).

48. *PARECE — PARE*: *apparēre*: «In tantis descriptionibus divina providentia appāret» CIC. de nat. deor., 2, 110.

49. *CULPADO — COLPEVOLE*: *culpae obnoxius*; *obnoxius* est 'qui noxae seu crimi*ni* subjectus est'; 'poenae obligatus ob delictum' (FORCELLINI, s. v.).

50. *A PELEAR — A COMBATTERE*: verte in latinum substantivo *pugna*; T. Livius participium *pugnaturus* forsitan adhibuisse —ut saepe apud eum—.

51. *A PENAR — A PENARE*: ad superiorem *pugnam* oppone *poenam*; aut etiam adjectiva verbalia *cruciandus*, *poena afficiendus* adhibere potes.

52. *DECIDME — DITEMI*: *heus*, quae vox «fere vocandi, admonendi, excitandi vim habet» (FORCELLINI, s. v.): «Sed *heus* tu quid agis?» CIC. ad fam., 7, 11.

53. *GUARDAS — GUARDIE*: *custos*.

54. *PORTEROS — PORTINARI*: *janitor*.

55. *CONQUISTADOR — CONQUISTATORE*: (*victor*), *expugnator*.

56. *ROMPIÓ — RUPPE*: *refringo, confringo* (*perrumpo*).

57. *CERRADURAS — SERRATURE*: *claustrum*: 'instrumentum quo quid clauditur'; et plerumque in plurali usurpatur: «Generatim ponitur fere de omnibus quae claudendo qualibet ratione inserunt..., immo dicitur de quolibet loco concluso» (FORCELLINI, s. v.); quo etiam per translationem utuntur auctores: «Cum ego *claustri* ista *nobilitatis* refregissem» CIC., pro Mur., 1, 8, 17; «*Servitutis humanae claustra* perrumperent» SEN., Epist., 8, 70, 19.

58. *POR FUERZA — PER FORZA*: *per vim, vi*.

59. *ENTRO — ENTRÓ*: *sese inferre ad nos*.

60. *QUIEN SERÁ — CHI SARÀ*: hoc futurum, quod aliquando in orationibus interrogativis et exclamativis adhibemus, rem *futuram* —apul Hispanos et Italos— *minime* significat, sed quandam de *re improvisa, necopinata admirationem aut sollicitudinem secum fert*: «será posible lo que me cuenta? — sarà possibile ciò che lei racconta?: «quì fieri potest quod narras? [non vero]: «quì fieri pote-

*rit»]. —Ergo hoc futurum in *praesens* muta. —Cfr. S. GILI Y GAYA, *Curso superior de sintaxis española*,⁸ Barcelona 1961, n. 127: p. 266.*

61. *TANTO PUEDE — PUÒ TANTO*: *pollere* (*tanta*) *potestate*; *pollere*: 'possum, valeo, vigeo, vim viresque multas habeo': «Qui in re publica judiciisque tum plurimum *pollebant*» CAES., *de b. c.*, 1, 4.

62. *FUESE CULPADO — FOSSE COLPEVOLE*: *culpa obstringi*; cfr. «scelere *obstrictus*» CIC., *in Verr.*, 4, 71.

63. *NO SERIA TAN OSADO — NON SAREBBE COSÌ ARDITO*: *tantum non auderet*; cfr. «Qui cum *tantum ausus* sit uestor pro mortuo, quid signifer pro vivo non *esset ausus?*» CIC., *pro Mil.*, 33, 91.

64. *Y SI — E SE*: *quod si*; vel, si mavis, in suo casu utere «*si quae... caligo*».

65. *OSCURIDAD — MACCHIA*: *caligo*.

66. *RESPLANDECERIAN — RISPLENDEREBBERO*: *refulgere*, *effulgere* (aut *collustrari*); cfr. supra, *adn.* 19.

67. *LUZ — LUCE*: *lumen*, quod proprio valet 'lucerna, fax, lampas', id est '(vas) illud quod illuminat'; et per translationem dicitur de re aut viro nobilissimo: *lumina civitatis* = 'clarissimi viri'. —*Lux* vero —quae tenebris opponitur— est 'splendor, claritas quae e re splendenti seu fulgenti diffunditur'; ac per translationem dicitur 'salus, auxilium subsidium': «haec urbs, *lux orbis terrarum*» = «*salus totius orbis*». Ergo differunt *lumen solis* et *lux solis*; attamen non semper hoc discrimen liquido patet in scriptorum exemplis.

68. *QUE TIENE QUE VER...? — CHE HA DA FARE...?*: est ratio loquendo quae dicitur phraseologica; verte: «*quid ei cum* (sine verbo); nam in interrogativis oratoriis interdum deest verbum: «Num horum senectus miserabilis...»

69. *TIENE TANTO ATREVIMIENTO? — HA TANTA ARROGANZA?*: *tanta fertur audacia*.

70. *QUÉ HACE — CHE FA*: *quid* (et etiam *qui* = *cómo* — *come mai*, *come comment*; *por qué* — *perché* — *por quoi*, *pour que*; *hace* — *fa*): quod verbum in aliud pressius definitum mutabis: *jacet*.

71. *LIMBO — LIMBO*: *limbus*, quae vox claritatis causa, et in sermone ecclesiastico «technica», adhiberi debet, quanquam hoc sensu in lexicis non invenitur; habes tamen in *Glossario mediae et infimae latinitatis* Ducangii (Graz 1954, vol. V, p. 112): *limbus*: «locus in quo SS. Patrum ac piorum animae ante Christi mortem consistebant: ubi etiam infantium, qui absque baptismo moriuntur, consis-

tere animas aiunt». Jo. de Janua: *Limbus ponitur pro quadam parte inferni; quatuor enim sunt loca inferni, scilicet Infernus damnatorum, Limbus puerorum, Purgatorium, et Limbus Patrum».*

72. *HAS BURLADO — HAI BURLATO: fraudo, as, are.*

73. *NUESTRAS ESPERANZAS — LA NOSTRA SPERANZA: spes, spei* (in singulari), nam raro adhibetur, et est poëticum, in plurali; cfr. VERG. *Aen.*, 10, 627: «*Spes pascis inanes*», et 5, 672: «*Vestrás spes uritis*».

74. *CAUSADO NUESTRO DAÑO — CAUSATO IL NOSTRO DANNO: damnum inferre, dare, afferre (detrimentum afferre, inferre).* — Ex orationis concinnitate cum superiore sententia (*spem nostram fraudasti*), adjективum *nostrum [damnum]* retineri potest; sed et dativum *incommodi [nobis]* usurpari licet, nam «*Dativus pronominis personalis ponitur interdum, nec ineleganter, pro adjektivo possessivo: «Mihi (=meos) ad pedes misera jacuit» (Cic., Suppl., 49, 129); «Litterae tuae auxerunt mihi (=meum) dolorem» Cic., ad Att., 11, 22) (ISSELE, De latinorum sermone, n. 100, p. 77).*

75. *ALCANZAMOS — ABBIAMO OTTENUTO: comparo, —as, —are.*

76. *TODAS NUESTRAS RIQUEZAS — TUTTE LE NOSTRE RICHEZZE: adjективum *nuestras* — *nostre* aptius omittes, et in hoc primo orationis membro *quondam* addes ut oppositionem cum adverbio *nunc* —quod est in altero membro— acrius pateat.*

77. *LAS PERDIMOS — LE PERDIAMO: amitto, —is, —ere;* et dele pronomen *las* — *le*, ejusque loco *omnes* adde, quo intimam rerum ac membrorum repugnantiam significantius ostendes et plenam orationis concinnitatem assequeris.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor

In urbe Roma

CICERO EPISTULIS ILLUSTRATUS

Perpauci sine dubio antiquitatis viri tot scripserunt epistulas quot Tullius Cicero. Pervenerunt ad nos octingentae sexaginta quattuor, quarum septingentae septuaginta quattor ab ipso scriptae, nonaginta ab amicis ad ipsum datae; totidem fere temporis injuria perierte. Constat quoque epistularum collectiones ad Caesarem, Pompeium, Octavianum aliosque exstisset, sed et hae deperierunt. Omnes paene ad Atticum et Quintum fratrem ipse Cicero scripsit, sive in itinere, in castris, in mensa, in senatu; reliquas dictitavit scribis, praesertim Tironi secretario fideli, «stenographiae» inventori.

Epistulae tunc temporis in papyro, non pergamina scribi, plicari, non convolvi, filo circumligari et sigillo muniri solebant. Atque cum nullus «cursus publicus», qui transmitteret, esset, provinciarum praesides et mercatorum collegia suos habebant cursores sive tabellarios, quibus epistulas committebant; verum privati pueros. Multum autem temporis transibat, donec ab auctore ad destinatum perferrentur. Ita exempli gratia epistula ab Urbe Brindisium missa octo fere dies, a Britannia in Urbem mensem integrum, a Cilicia verum quadraginta dies.

Praeterea Cicero, cum nulla lege esset cautum ne epistulae a nescio quo aperirentur, saepe tecto nomine aut graeco sermone scripsit. Nec in animo habebat epistulas collectas aliquando in lucem edere. Collegit Tiro Cicerone vivo et eo mortuo pergebat. «Ad familiares» sine dubio collegit et in eam formam, qua sunt traditae, rededit.

Complectuntur epistulae Ciceronianae rei publicae romanae viginti quinque (68-43) annos valde turbulentos. Caesar Galliam subjecerat, Pompeius Magnus devicto Mithridate summo imperii inimico

Asiam et Aegyptum imperio addiderat, in Italia optimates, equites et populares inter se acriter certabant nec impedire poterant quin res publica labefactata lente in monarchiam transiret. Quam summi momenti aetatem Ciceronis litterae ostendunt et vividius ante oculos ponunt. Quibus si careremus, multa hujus aetatis cum detrimento historiae laterent. Porro, cum epistulae animi quasi fenestrae sint, Ciceronem videmus, sicuti est nec quemquam antiquitatis hominem tam bene novimus quam Ciceronem.

Cum Pomponio Attico (109-32) viro amplissimo et eruditissimo familiarissime vivebat adeo, ut ipsum «alterum ego» appellaret et magnam ad eum epistularum partem daret. Secesserat Atticus bello civili flagrante anno octogesimo sexto Athenas ibique degebat usque ad obitum, a rebus politicis prorsus alienus. Cui Cicero haud raro cotidie scripsit. Quaecumque cogitabat vel sentiebat, quibuscumque rebus commovebatur, sive curis domesticis, sive Tulliae filiae tanto-pere dilectae morte praematura, sive Terentiae uxore morbis, sive Tironis aegritudine, sive factionum inter se pugnis, sive reipubliae statu misero, sive dolore a Marco ipsi inflicto, sive consiliis ineundis: omnia haec cum Attico communicabat.

Recta introducimur in vitam publicam Romanorum, in actiones forenses, in exedras familiarum romanarum nobilium, in eruditorum musea. Ac vivide videmus Ciceronem gaudentem, lugentem, cunctantem, exilio nimis depresso, consilii inopem et fere desperatum. Cernimus hominem virtutis romanae priscae plenum, curis pugnisque cottidianis fatigatum et consumptum et ab iis, quae ardenter appetebat, deficere coactum. Atque cum nullum haberet, cui curas omnes et sollicitudines crederet et Atticus longe abesset, saepissime in eum omnia, quibus premebatur et discruciabatur, per epistulas veluti effundebat. Itaque, quae viva vox servare nequit, ea epistulae servarunt. Ac quoniam omnia candide et aperte amico patefecit, videmus quoque auctoris vitia: vanitatem, gloriae laudisque cupiditatem. Denique videmus rei publicae libertatis defensorem acerrimum, sorte maligna exagitatum, donec sica Herennii, cuius olim causam egerat, tandem occubuit. Fide politica quidem interiit, sed opera et epistulae eum immortalem reddiderunt.

Ponamus specimina pauca. «Scito mihi nunc nihil tam deesse

quam hominem, quocum omnia una communicem; qui me amet, qui sapiat, quocum ego colloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam... Tu autem... ubinam es...? Quare te exspectamus, te desideramus, te jam etiam arcessimus» (ad Atticum 1, 18). «Quam ob rem, si me amas tantum, quantum amas, si dormis, expergiscere, si curris, advola. Credibile non est, quantum ego in consiliis et prudentia tua, quantum in amore et fide ponam» (2, 23). «Dices tu ergo quomodo fers? Belie, mehercule... Amisimus omnem non modo sucum et sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. Nulla est res publica, quae delectet, in qua acquiescam... Recordor enim, quam belle paulisper nobis gubernantibus civitas fuerit... Nullus me dolor angit, me ad litteras referto et studia nostra... domus me et rura nostra delectant. Non recordor, unde ceciderim, sed unde surrexerim...» (4, 18). «Te tuis negotiis relictis nolo ad me venire; ego potius accedam, si diutius impediere. Etsi ne discessissem quidem e conspectu tuo, nisi me plane nihil ulla res adjuvaret; quodsi esset aliquod levamen, id esset in te uno et, cum primum ab aliquo poterit esse, a te erit. Nunc tamen ipse sine te esse non possum. Sed nec tuae domi probabatur nec meae poteram nec si propius essem uspiam, tecum tamen essem. Idem enim impediret, quominus mecum essem, quod nunc etiam me impedit. Mihi adhuc nihil prius fuit hac solitudine» (12, 16). «Ut me levarat adventus tuus, ita discessus afflit. Quare, cum poteris, revises nos. Vel unus dies mihi erit utilis; quid dicam, gratus. Ipse Romam venirem, ut una essemus» (12, 50). «In hac solitudine careo omnium colloquio; cumque mane me in silvam abstrusi densam, non exeo inde ante vesperum. Secundum te nihil est mihi amicius solitudine. In ea mihi omnis sermo est cum litteris. Eum tamen interpellat fletus, cui repugno quoad possum» (12, 15).

Ad *Lentulum*: «Legit tuas litteras, quibus ad me scribis gratum tibi esse, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus et meam erga te benvolentiam facile perspicias, quorum alterum mihi, ut te plurimum diligam, facere necesse est, si volo is esse, quem tu me esse voluisti; alterum facio libenter, ut, quoniam intervallo et locorum et temporum disjuncti sumus, per litteras tecum quam saepissime colloquar. Quod si rarius fiet quam tu exspectabis, id erit causae, quod non ejus generis meae litterae sunt, ut audeam eas temere com-

mittere...». «Lentulum nostrum eximia spe, summae virtutis adulescentem, cum ceteris artibus, quibus studiasti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias; nulla enim erit hac praestantior disciplina. Quem nos... in primis amamus carumque habemus» (ad fam. 1, 7).

Ad *Torquatum*: «Hoc loco si videor augere dolorem tuum, quem consolando levare debeam, fateor me communium malorum consolationem nullam invenire praeter illam, quae tamen, si possis eam suscipere, maxima est quaque ego cotidie utor, conscientiam rectae voluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum nec ullum magnum malum praeter culpam... Deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si jam vocer ad exitum vitae, non a republica avellar, qua carendum esse doleam, praesertim cum id sine sensu futurum sit...» (ad fam. 6, 4).

Ad *Caecinnam* in exsilium actum: «Quotienscumque filium tuum video —video autem fere cotidie— polliceor ei studium meum et operam sine ulla exceptione aut laboris aut occupationis aut temporis, quantum valeam quantumque possim. Res et fortunae tuae mihi maxime curae sunt, quae quidem cotidie faciliores et meliores videntur... Iis autem de rebus, quas conjectura consequi possumus, non mihi sumo, ut plus ipse prospiciam quam te videre et intelligere mihi persuaserim... Ea natura rerum est et is temporum cursus, ut non possit ista aut tibi aut ceteris fortuna esse diurna nec haerere in tam bona causa et in tam bonis civibus tam acerba injuria» (ad fam. 6, 5).

Ad *Terentiam* uxorem: «Ad te et ad Tulliolam —filiam tantopere dilectam— non queo sine lacrimis plurimis scribere. Vos enim video esse miserrimas, quas ego beatissimas esse volui idque praestare debui... Hein! mea lux, meum desiderium... te nunc, mea Terentia, sic video vexari, sic jacere in lacrimis... idque fieri mea culpa, qui ceteros servavi, ut nos periremus. Mihi ante oculos dies noctesque versaris... Valete, mea desideria...» (Ad Terentiam 1, 2). «Cura ut valeas et ita tibi persuadeas mihi te carius nil esse nec unquam fuisse. Vale, mea Terentia, quam ego videre videor itaque lacrimis debilitor» (1, 5). «Considerandum vobis etiam atque etiam, animae meae, diligenter puto, quid faciatis: Romaene sitis an mecum in aliquo tuto loco. Id

non solum meum consilium est sed etiam vestrum. Mihi veniunt in mentem haec: Romae vos esse tuto posse per Dolabellam eamque rem posse nobis adjumento esse, si qua vis aut si quae rapinae fieri coeperint. Sed rursus me illud movet, quod video omnes bonos Roma abesse et eos mulieres suas secum habere... Vos videte, quid aliae faciant isto loco seminae... Id velim diligenter vobiscum et cum amicis consideretis... Maxime autem date operam, ut valeatis...» (1, 18). «Si vales, bene est, ego valeo. Valetudinem tuam velim cures diligenter. Nam mihi et scriptum et nuntiatum est te in febrim subito incidisse. Quod celeriter me fecisti de Caesaris litteris certiores, fecisti mihi gratum. Item posthac, si quid opus erit, si acciderit novi, facies ut sciam. Cura ut valeas.» (1, 8).

Ad *Tironem* secretarium dilectum: «...Quare malo te valetudini tuae quam meis oculis et auribus». «Sollicitat, ut ita vivam, me tua, mi Tiro, valetudo... Omnia a te data mihi putabo, si te valentem videro... Cave festines aut committas, ut aut aeger aut hinc naves. Nunquam sero te venisse putabo, si salvus veneris. Ita te, ut dixi, oculis fero». (16, 22; 27 in fine). «Tu autem tibi hoc persuade, si commodo valetudinis fieri possit, nihil me malle quam te esse mecum; si autem intellexeris opus esse te patris convalescendi causa paulum commorari, nihil me malle quam te valere. Si statim navigas, nos Leucade consequere. Quod valetudini maxime conducet, si feceris, maxime obtemperabis voluntati meae. Haec pro tuo ingenio considera. Nos ita te desideramus, ut amenus; amor, ut valentem videamus, hortatur; desiderium, ut quam primum. Cura ergo potissimum, ut valeas; de tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum» (16, 15).

Ad *Quintum fratrem*: «Nunc vero ea pars tibi rei publicae commissa est, in qua aut nullam aut perexiguam partem fortuna tenet et quae mihi tota in virtute tua ac moderatione animi posita esse videatur. Nullas, ut opinor, insidias hostium, nullam praelii dimicationem, nullam defectionem sociorum, nullam stipendii inopiam aut rei frumentariae, nullam exercitus seditionem pertimescimus. ...Tibi data est summa pax, summa tranquillitas, ita tamen, ut ea dormientem gubernatorem vel obruere, vigilantem etiam delectare possit... Quid est enim negotii, continere eos, quibus praesis, si te ipse contineas? Id autem sit magnum et difficile ceteris, sicut est difficillimum; tibi et

fuit hoc semper facillimum et vero esse debuit, cuius natura talis est, ut etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse... Nam Graeci quidem sic te ita viventem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria aut etiam de caelo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent. Atque haec nunc, non ut facias, sed ut facere te et fecisse gaudeas, scribo» (1, 1).

N. MANGEOT, S. J.

44 Münster Sentmaring in Germania.

PER ORBEM

*OMNIUM GENTIUM AC NATIONUM CONSILIU
CONVENTIBUS DE LATINITATE CONSTITUENDIS*

Sessionis a. d. IX Kal. Maj. a. MDCCCCLXVII habitae expositio

A. d. IX Kal. Maj. a. MDCCCCLXVII, Romae, apud Institutum Romanis Studiis Provehendis, prima habita est sessio Consilii proximis conventibus constituendis, prout docti viri voluerunt qui Conventui interfuerant mense Aprili anno MDCCCCLXVI habito.

Viros doctissimos delegerant, ut in Consilio partes suas agerent, Academiae et Universitates studiorum omnium gentium ac nationum, quae nomen suum professae erant recenti Conventui de Latinitate.

Constat igitur Consilium ex Americae Septemtrionalis Foederatis Civitatibus (A. Doenges), ex Austria (G. Pfligersdorffer), ex Batavia (I. H. Waszink), ex Bohemia (I. Kabrt), ex Brasilia (V. L. da Nobrega), ex Britannia (G. S. Maguinness), ex Burundi (F. Leroy), ex Canada (S. Kresic), ex Dacia (N. Barbu), ex Finnia (P. Numminen), ex Francogallia (P. Grimal), ex Gallia Belgica (I. Ijsewijn), ex utraque Germania (G. Hartke, A. Thierfelder), ex Graecia (C. Grollios), ex Helvetia (P. Schmid), ex Hibernia (I. O'Meara), ex Hispania (J. M. Mir), ex Japonia (H. Izui), ex Italia (P. Romanelli), ex Jugoslavia (V. Gortan), ex Melita (E. Coleiro), ex Polonia (C. Kumaniecki), ex Sarmatia (I. M. Borovskij), ex Turcorum re publica (F. Perek), ex Urbe Vaticana (H. Tondini).

Romam igitur convenerant Consilii socii, sed Georgii Pfligersdorffer personam gesserat Alfonsus Isnenghi, Francisci Leroy personam gesserat Vincentius Bacinoni. Praeterea scripserant se incepto favere eique felicem exitum exoptare Borovskij, Doenges, Gortan, Grollios, Hartke, Ijsewijn, Izui, Kresic, Kumaniecki, Numminen, O'Meara, Perek, Waszink, qui alias alia causa impediti erant ne cum collegis eo die Romae versarentur.

Praeter Consilii socios, quos supra diximus, interfuit etiam —acitus ab Instituti praeside— R. Schilling, qui Argentorati congressus habiti suit anima animusque: Itali interfuerunt, non modo P. Romanelli praeses, sed etiam O. Morra, V. Paladini, moderatores (una cum H. Tondini et H. Paratore, qui invitus afuit) Romani conventus et G. Pacitti ejusdem conventus ab actis.

Antequam de agendis disputatum est P. Romanelli omnibus grates egit ob honorem quo Latinas litteras observarent, colerent adeo ut longum itineris spatium emensi essent.

Subinde ex voluntate omnium Petrus Romanelli praefuit sessioni; ab actis munero Juliana Farenga Ussani et Guarinus Pacitti functi sunt.

Deinceps Petrus Romanelli collegas docuit Consilium hac mente constitutum esse ut omnes invitarentur Societates, Academiaeque atque Universitates studiorum quae faustis ominibus recentem conventum prosecutae essent: deligerent istae aliquem eumque Romam mitterent qui suas partes ageret: optavit etiam Petrus Romanelli ut alii adjungerentur socii.

Postea singula quae agenda erant acta sunt:

Ubi, quando, quoties Consilium habendum erit?

Romae, ab universis responsum est; semel, saltem, in anno, primo vere, si fieri posset.

Quae munera tribuenda sibi Consilii socii censem?

De qua quaestione, eaque gravi, alias aliam sententiam prompsit. Fuerunt qui (e. g. N. Barbu, E. Coleiro, V. Paladini, R. Schilling) censerent Concilio diligenter atque active incumbendum esse ut acroases de latinitate compararentur atque praelectiones Romae e. g. apud Institutum Altioris Latinitatis. Qua re in universum perspecta consenserunt omnes, quin P. Grimal, A. Isnenghi, G. S. Maguinness, A. Thierfelder dixerunt se sperare fore ut collegia institutaque similia eadem ubique terrarum prosequentia cum Consilio nostro active collaborarent.

Tertium attente disputatum est, utrum in Conventibus opera solum navanda esset in percensendis rationibus de docenda Latina lingua et in excogitando quomodo nec non quando Latino sermone utendum esset commodi cuiusdam causa, an rei fines proferendi essent ut litterae explorarentur, ut Romanorum cultus et humanitas penitus pervestigarentur, sicut bonos decet philologos.

De re varie disputatum est; tandem haec stetit sententia: nihil admodum neglegendum esse, dummodo nostrae aetatis homines sibi persuaderent suorum morum principium et fundamentum e Romanorum moribus quodam modo orta esse; quare ad eorum exemplar omnes motus animi moresque omnes conformandos esse.

Quando proximus conventus habendus esset posthac disputatum est: jussit Consilium, cunctis sententiis, ut anno MDCCCCLXX haberetur.

Ubi? Forsitan Bucurestiis apud Dacoromanos, forsitan apud Hiberos vel Batavos, forsitan in Austria, vel in Germania, vel in insula Melitensi. Nemini tamen Consilii sociorum in praesentiarum visum est hospitium in proximum conventum se tum promittere posse. Suos

tamen percontaturum esse praecipue —omnes dixere— possetne fieri ut proximus conventus apud se suosque haberi posset.

Aggressi sunt subinde Consilii socii quaestionem gravissimam, argumentum scilicet, quod in proximo conventu pertractandum esset.

E. Coleiro, P. Grimal, G. S. Maguinness, R. Schilling haec praesertim (ceterum idem fere de re sentire I. Borovskij, C. Kumaniecki scripserant) in proximo conventu pertractanda esse dixerunt:

1) qua ratione, que via docenda esset Latina lingua, et quomodo divulganda haec ratio esset;

2) quantum Latina lingua ad fingendos conformandosque vernaculos sermones contulisset;

3) quae Latinae linguae esset condicio, scilicet quem locum Latina lingua haberet et aetate quae media dicitur et subsequentibus aetatisbus.

Demum e professoris V. L. da Nobrega sententia ut hoc quoque argumentum pertractaretur placuit: «de Vergili in litteris et artibus singularum nationum praesentia».

Posthac quaestio acta est de sermone quo publice omnibus uti licet in conventibus. Confirmatum est quod in recenti et in superioribus conventibus jam optatum erat:

1) ut nullo discrimine Latino vel vernaculo sermone uterentur qui orationem dicenter diebus auguratis auspicatisque;

2) ut Latino tantum sermone uteretur qui de quavis re orationem aliquam vel commentariolum collegis praeberet;

3) ut Latino sermone uterentur qui cogitata mentis vel sensus suos dicere ex tempore vellent; quod ni fieri posset, vernaculo sermone licet cuique uti, eo tamen pacto, ut postea in epitomen latine coacta traderentur quae alio sermone dicta essent.

Posthac quaestio itemque gravis disputata est, ne peregrinus Latinus sermo sonaret auribus eorum qui undecumque terrarum in concilium de Latinitate convenissent.

Renuntiavit quisque sententiam: quarum haec est summa: quaestio de litterarum appellatione sive de enuntiatione infinita paene quaestio est, cum tot enuntiations sint quot linguis homines loquuntur. Hoc tamen omnium interest ne quis alienigenarum suae gentis enuntiandi consuetudinem servet (*Gisa pro Jesu* enuntiant enim Britanni; *box pro vox* Hiberi e. g.), ut enuntiet quisque ad instar Italorum, sive rationem secutus a collegis Avennicis receptam, quae, quodam modo, Romanorum enuntiationem servat priore saeculo a. Ch. n.

Postremo de iis disputatam est quae excogitari possunt ad Latinitatis studia provehenda.

Hic sententia Vincentii Ussani junioris profertur: ut commentarii condantur quibus studia praecipua percenseantur de litteris, de antiquis operibus monumentisque ubique vulgata.

Objecit aliquis commentarios istos usui magis esse posse si eo spectarent ut scientificas quas dicunt disciplinas explicarent. P. Grimal et R. Schilling collegas admonent se a Societate quam compendiariis litteris UNESCO vocant, exquisivisse ut ex aerario suo pecuniam idoneam promat ad indicem quondam pervulgandum latine exaratum, quo contineantur opera apud singulas gentes edita. Hoc enim docti viri exoptaverant qui tribus conventibus interfuerant in Francogallia habitis. Qui quidem etiam hoc exoptaverant, ut lexicon quoddam constitueretur vocabulorum quae, quoad ejus modo fieri potest perfecte, cum vocabulis Latinis congruerent.

Perseverandum esse —Grimal et Schilling collegae censem— quoad UNESCO Societas pecuniam praebeat quae inceptis suppeditet. Quamquam huc usque Institutum Romanis Studiis Provehendis satis multa de re perfecit ejusdem quaedam lexica condendo; quin immo Commentarios in vulgus ediderat rem pertractantes. Nonne igitur exemplum hoc imitandum censemus?

Petri Romanelli ex sententia illorum Commentariorum exemplar mittetur; judicent hujus Consilii collegae possintne illi recreari atque instrumentum fieri quo publice quisque utatur.

Petrus Romanelli ad extremum denique plagulas collegis ostendit quae Acta Romani de Latinitate conventus continent. Liber ille mox prelo subcietur.

AB ACTIS INSTITUTI STUDIORUM ROMANORUM
Piazza dei Cavalieri di Malta, 2, Roma (803)
In urbe Roma

B I B L I O G R A P H I A

O. BADELLINO. — *Dizionario della lingua latina: latino-italiano, italiano-latino* — edizione “minore” del dizionario GEORGE-CALONGHI-BADELLINO—, col. 2657. Rosenberg & Sellier, via Andrea Doria, 14, Torino. L. 6000.

In aedibus, quae lexicis latinis edendis operam impense dant, maximam ab omnibus adepta est laudem, officina libraria Rosenberg, Taurinensis, quae multos jam annos in hujusmodi lexica vulganda praecipuo studio incubit.

Egregius linguae latinae praceptor et magister Orestes Badellino superioribus his annis maxima rei scientia, certo judicio, summa in labore constantia edidit lexicon italicum latinum (*Dizionario italiano-latino*, edizione “speciale”, a. 1961 —iterum a. 1964—, col. 4.262): opus vere immensum, omniisque commendatione dignum, quod, ut Romanorum monumenta, aetatem diu feret —cum in multis, quae edita sunt lexica, praecipuum teneat locum—.

Ex quo primario lexico deinde, haud paucis demptis exemplis et paginis, alterum edidit lexicon (*Dizionario italiano-latino*, edizione “normale”) —quod tamen 2.960 columnis constat—.

Nunc autem, ut scholasticis in primis opem ferat, novum praebet volumen, quod lexicon latinum italicum et italicum latinum comprehendit, quodque compendium seu summa est lexicorum a cl. viris Georges et Ca-

longhi et ab ipso paratorum. Quod —usu expertus loquor— magnam vocabulorum summam continet: vocum sensus et scriptorum exempla numeris distincta et copiosa sunt; voces et locutiones italicae prudenti justoque iudicio latine redduntur propositis veterum exemplis aut novis allatis formis cum antiqua desunt exempla. His omnibus alium manu ducuntur ut et classicos scriptores sermone latino interpretentur et in latinum sua ipsorum iudicia apte transferant.

Iterum nunc repetere oportet, qui lexicon in promptu habet optimum, thesaurum linguae apud se habet, quo et aliorum recte captet sententias et animi sui sensa presse et subtiliter exprimere possit.

J. M.^a MIR, C. M. F.

ELSE, G. F. — *Colloquium on the Classics in Education*, pp. 65, Edit. Brown University, USA. 1965.

In hoc fasciculo opiniones quorundam Latinitatis professorum colliguntur de Romanorum et Graecorum lingua fovenda et colenda tam in universitatibus quam in collegiis. Haec est quaestio: Eae linguae nostris pueris educandis aptae sunt? Omnes scimus has linguas ad humanum cultum Occidentis adquirendum maxime utilitati olim fuisse atque eorum momento totam Europam beneficiis cumulatam esse. Qua de causa nostris diebus nostrae humanitati inservire non possunt? Haec est quaestio in his pagellis disputanda.

DELLA CORTE, M. — *Case ed abitanti di Pompei*, terza edizione a cura di Pietro SOPRANO, pp. 515, Edit. Fausto Fiorentino Editore, Napoli, 1965, L. 7000.

Matheus Della Corte, vir ampla in rebus historicis et philologicis humanae praeditus atque Pompeiorum optimus explorator et omnium scriptorum de Pompeiis praestatissimus, per decem annos Pompeiorum incolarum domos, cellas vinarias, officinas invisit et exploravit. In hoc volumine, tertio edito, permulta de Pompeiis vulgariter. Tam si quis studiis vacare vult, quam si quis Pompeios cognoscere cupit, minime hoc opus omittere potest.

Hanc tertiam editionem a Petro Soprano parata esse notandum est, sed secundae editioni a M. Della Corte paratae nihil novi additur.

In textu novas, Pio Ciprotti adjuvante, ampliations, adnotaciones et emendationes — sunt 172 — atque novos indices utiles lector inveniet. Alia enim amplificantur effossionibus adhibitis; alia adduntur, quod opus, urbi cognoscendae praesertim dicatum, aliqua debet dicere de pompeianis incolis quorum nominum non memorantur, de pingendi arte, de operibus fabrilibus, de commercio et industria, ceterisque.

NACHTERGAEL, G. - SALMON, P. — *Des Gracques a Auguste*, 110 pp. Edit. Sciences et Lettres, Liège, 1965.

In libello de bellis civilibus et turbidis rebus, quibus Roma primo saeculo ante Chr. n. vexata est, documenta colliguntur. In his textibus de longo et moderato Rei Publicae ad Imperium progressu et de viris, qui hunc progresum foverunt, agitur. Haec no-

tamus: libellus summa tantum est, in qua textus et scriptores nominantur et clari viri: ut Crassus, Clodius, Brutus, Agrippa; textus vero minoris momenti praetermittuntur. Magni tamen habetur oeconomiae aliarumque rerum status. Auctores, qui libellum confecerunt, de rebus, quae hoc primo saeculo ante Chr. n. acciderunt, alumni brevem prospectum dare voluerunt, ut lingua latina et historia sic interesse amplius conjungantur, et ita alumni antiquam historiam facilius intellegere possint. Notae ad historiam spectantes alumnis et professoribus ad viros et res comprehendendos adjumento erunt.

MARINELLI, G. — *Una silloge inedita del poeta umanista Giulio Porto*, 26 pp.

Julius Porto, sacerdos et poeta, in his carminibus propriam sententiam adversus sui temporis (1795-1861) statum rerum opponere voluit. Auctor, qui hos versus adnotat, iterum in vulgus edidit ut homines, qui nostris diebus litteras humaniores paulisper neglegunt, videant quo modo eae ad humanitatem fovendam adjuvare possint.

J. L. LATORRE, C. M. F.

GREIFENHAGEN, A. — *Antike Kunstsammlungen*, 2. erweiterte Aufl., Staatliche Museen Berlin Antikenabteilung. Walter de Gruyter, Berlin, 1966, pp. VII-56 + 108 pict.

Anno MCMLX, occasione translationis Musei Berolinensis a loco ubi servatus erat ad partem Berolini occidentalem, clmus. auctor primum hoc opus edidit; nunc vero iterum edidit novis picturis auctum. Opere continentur praecipue vasa graeca et aereae

statuae cum paucis romanis imaginibus, quae artem graecam et romanam, institutiones, religionem illustrant. Opus est magna cura elegantique charta impressum.

GRASSMANN, V. — *Die erotischen Epoden des Horaz*. Zetemata, Heft 39. Munich, Beck, 1966, pp. XV-180 in-8.^o

De Horatii Epodon libro non multae sunt disquisitiones, atque revera opus difficile est praesertim propter locutiones et significaciones e graecis scriptoribus haustas. De hac re luculententer agit cl. auctor in hac lucubratione ad lauream in universitate Giessensi adipiscendam, in qua alte inquirit de epodon fontibus et de eorumdem vertentibus annis influxu. Postea de vocibus eroticis apud Horatium investigat et de compositionis tempore uniuscujusque epodi. Opus igitur ad Epodon cognitionem eorumque interpretationem valde utile est.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

GARCÍA DE DIEGO, V. — *Lecciones de Lingüística española*, 254 pp. Edit. Gredos, Madrid, 1966.

Septem colloquia seu acroases in hoc volumine collectae et tertio in publicum jam editae a V. García Professore hispanicarum litterarum cultoribus dicatae sunt. Quanquam omnia hic explanata unicuique linguae aptari possunt, tamen Hispanorum sermoni scripta sunt; qua enim de causa si exempla, ex hispanicis vocibus selecta, ceterarum linguarum exemplis dissimilia videntur, minime mirari debeamus. Quam in rebus proferendis partem animi affectiones habeant; quae vera et facta in litterariis figuris sint; quibus regulis vocum sensus

ponderentur; quid novi et communis in dicendi novitate sit; quae in dicens justa ratio statui possit; quae linguam augeant et minuant... ab auctore fusius enodatur. Duo igitur linguae notandi sunt aspectus: alter fugax et varius tanquam communicationis instrumentum; alter plenus et perfectus tanquam instrumentum litterarum quo optimi scriptores utuntur. Optimia, uti credimus, in libro continentur.

GILI GAYA, S. — *Elementos de fonética general*, 198 pp. Edit. Gredos, Madrid, 1966.

Quomodo lingua per annos sese evolverit, ab auctore in volumine explicatur. Discipuli, quoniam propriis elementis, quibus haec scientia nititur, omnino carent, hunc librum tanquam regularum ediscendarum summam considerare possunt. Ut hujus scientiae elementa adquirant alumni, terrarum descriptionem et hominum societatem non solum noscere debent, sed etiam percipere quod momentum habent animi motus rerumque status in vocibus efferendis. In hoc enim volume lectores de phoneticae rationibus et quaestionibus summatim illustrat auctor atque ad linguam investigandam et sermonis viventis sonos distincte percipiendos discipulorum annimos excitare quoque intendit. In regulis evolvendis exempla ex hispanicis vocibus selecta tantum adhibentur, sed de antiquis et novis linguis quaedam adnotantur ut volumen omnis linguae phoneticae inservire possit. A librorum indice maxima alumnis utilitatis incipit volumen; qui index omnibus capitibus praeficitur. Liber, quinto jam editus. uti credimus, alumnos permultum juvare potest.

PICHLMAYR, Fr. — *Sextus Aurelius Victor de Caesaribus*, 226 p. Edit. B. G. Teubner, Leipzig, Alemania, 1966.

Lectoribus Fr. Pichlmayr hoc volumen paravit. In textu exhibendo eandem rationem jam in aliis hujus collectionis voluminibus adhibitam nobis sequi visus est. Textui longa praecedit praefatio in qua quaedam dicuntur ab auctore de "libelli historia, de S. Aurelii vita ingenioque, de libelli de origine Gentis romanae auctore, de libelli de viris illustribus urbis Romae auctore, de epitome auctore, de codicibus, ceterisque". Tamen notandum est: Sexti Aurelii Victoris opusculo praecedunt libri, quos Theodorus Pulmannus (Poelman) Aurelio Victori adscripsit, et de origine Gentis romanae et de viris illustribus urbis Romae et de epitome de Caesaribus, quam periti unum librum cum superioribus esse affirmant. Haec vero nova hujus operis editio a Rolando Gruendel professore perficitur atque ab eo novi nominum indices conficiuntur ut libri et commentariola ad Aurelium Victorem pertinentia aequae sententiae ad textum emendandum prolatae magis nobis aperiantur.

ADEL, K. — *Conradus Celtis, opuscula*, 127 pp. Edit. B. G. Teubner, Leipzig, Alemania, 1966.

Opus variis opusculis Conradi Celtilis conflatur. In praefatione, ut jam omnes scimus, Adel auctor nobis quae-dam de Conradi vita, scribendi genere, siglis, conspectu studiorum, codicum et editionum, adnotationibus criticis, ceterisque dicit. In hoc opere haec animadvertisimus: unicuique opuscule brevis praecedit praefatio in qua quid opusculum sit et quae contineat et quibus codicibus textus nitatur nobis

explicatur. Liber duobus concluditur appendicibus: in alio "Poeticum prosseuticum ad gloriosissimam Dei Genitricem" et in alio "Adnotationes criticae ad ea quae non confecit sed solum edidit Conradus Celtis opuscula" nobis proponuntur. Hujus ultimi appendicis est finis: "videat lector quae sint verba a Celte recognita; notantur differentiae ab eorumdem operum editionibus criticis, quae nostris temporibus prelo subjectae sunt, et pateant labor, industria, elegantia et aliquando neglegentia Celtis erga auctores et opuscula, quae tradenda curavit", affirmat auctor.

FUHRMANN, M. — *Anaximenis ars rhetorica*, 114 pp. Edit. B. G. Teubner, Leipzig, Alemania, 1966.

"Si, quibus ex fontibus et qualis textus Rhetoricae quae dicitur ad Alexandrum ad nos pervenerit et quis re vera conscripserit hunc librum, quem Aristoteles conscripsisse traditur, paucis verbis certior fieri lector cupit, legat hoc opus; sin aliquanto plus sumere poterit temporis, commentariis qui sunt inscripti in "Untersuchungen zur Textgeschichte der pseudo-aristotelischen Alexander-Rhetorik (der Τέξνη des Anaximenes von Lampsakos) uti tibi placet". In praefatione nobis de rebus, his operibus communibus, auctor loquitur. In praefationis fine auctor conspectum commentationum ad Anaximenis vitam scriptaque pertinentium nobis exhibit.

THOMAS, P. II. — *Epitoma rerum gestarum Alexandri et liber de morte ejus*, 52 pp. Edit. B. G. Teubner, Leipzig, Alemania, 1966.

P. II. Thomas nobis hoc volumen accurate paravit adnotavitque. Omnes agnoscimus quanta cura Bibliotheca

Teubneriana volumina latinis et graecis scriptoribus dicata in lucem edat. Hoc enim volumen, quod lectoribus offerimus, aliis hujus collectionis voluminibus minime indignum est. In longa praefatione de variis codicibus, de stemmate codicum et editionum, de locis parallelis, et hujus editionis consilio et indeole auctor loquitur. Hoc opus peritis maxime commendamus quod textus optimo apparatu critico exstructus est.

DINIS DE TEVES COSTA UREÑA PRIETO, M. H. — *Da esperança na obra de Eurípides*, 372 pp. Edit. Largo de S. Salvador, Coimbra, Portugal, 1966.

M. H. Dinis de Teves auctrix hoc volumine, quod ad lauream in litteris humanioribus obtinendam professoribus detulit, nobis quid de "spe" Eurípides cogitet dicere intendit, quoniam de ea et tragœdia auctores fusius et diverse locuti sunt. M. H. Dinis de Teves nobis ad Graecorum mentem et humanitatem spem tragicam esse aperte dicit. In prima hujus voluminis parte opus cui index, "Héracles" probatur et explicatur, atque ex hoc Euripidis opere res magni pretii ad reliqua voluminis capita conficienda auctrix trahit. Notarum abundantia et textuum ex auctoribus comparatio nobis quanta cura hoc opus auctrix confecerit manifestat; quam ob rem hoc opus ad graecorum scriptorum et poetarum humanitatem intellegendam studiosis viris permultum inservire potest.

DES PLACES, E. — *Jamblique, Les mystères d'Egypte*, texte établi et traduit, 222 pp. Edit. Les Belles Lettres, Paris, 1966.

Jamblicus, saec. II p. Chr. n. in

urbe Chalcide natus, suis postremis annis in suburbio Daphne ad Antiochiam edocuit atque inter annos 330-335 mortuus est Jamblicus primo Anatolii, qui unus ex primis Porphyrii discipulis fuit, scholae adfuit, postea lectiones ex ipso Porphyrio accepit et demum scholae cuidam neoplatonicae praefuit. Quaedam opera in vulgus edidit; ex aliquibus nobis tantum restant fragmenta. Tamen inter haec Jamblici opera "De mysteriis Aegyptiorum" volumen eminet, cui verus index est "Abammon sacerdos Porphyrii litteris ad Anebon missis respondet et difficultates solvit". Quamquam in mentibus auctoriū quaedam de origine ortae sunt difficultates atque per aliquot annos disputatione, tamen hoc opus esse Jamblici affirmare debemus. In decem volumen dividitur libros, in quibus de theurgia quaestio agitatur et ab erroribus defenditur, id est, in hoc volumine nobis doctrinae quam paganismus profitetur datur summa, quam Jamblicus composuit antequam Porphyrius moreretur (anno 304). Jamblicus ad hoc opus parandum permultis ex auctoribus excerptis textibus usus est. Duo praecipua manu scripta ad opus faciendum sunt memoranda: V(allicellanus F 20) et M(arcianus graecus 244) quae ex saec. XV initium capiunt. Haec notanda: Jamblicus genus scribendi habet proprium, grammaticae regulis proprio modo utitur atque quibusdam vocibus novum sensum adhibet. Auctori in praefationis fine nobis librorum notam perplacet offerre.

LERSCH, PH. — *La estructura de la personalidad*, 620 pp. Edit. Scientia, Barcelona, 1964.

Philipus Lersch in psycologia hujus temporis notissimus clarissimusque

vir, inter omnes hujus disciplinae professores excellit, ejusque opus investigationibus clarorum Wundt et Krueger virorum pene simile est. Tamen plurima jam antea vulgavit volumina onniaque a doctis viris valde laudata et concelebrata sunt. Sed in Lersch operibus maximi est pretii hoc opus, quod omnes permultum praedicant. Quae explicantur et explanantur superioribus voluminibus, hic summam breviterque describuntur. In hoc volumine, praeter aspectum characteroologicum, evolutivum, psycologicum et ad humanam naturam spectantem, plurimae magni momenti in psycologia opiniones inveniuntur probanturque. Opus enim optimum psycologiae compendium est. Bene notandum est: in opere psycologiae "applicatae" quae dicitur investigationes, praesertim vero Psycopathologiae, maxime amplificantur et augmentur. Qua de causa medicis et iis qui in hanc disciplinam incumbunt, permultum inserire potest volumen. Professoribus maxiniae utilitati est opus atque omnibus paedagogis libentissime commendamus.

J. L. LATORRE, C. M. F.

MANSUELLI, G. A. — *Etruria and Early Rome*, pag. 255, Edit. Methuen, London, 1966.

Hic G. A. Mansuelli liber de artis progressu lucubratio est. Auctor in opere de evolutione artis apud Etruscos agit. Bonum initium illi est; ex cognocentes enim Etruscorum genuina inveniemus illa quae ex aliis populis acceperunt atque etiam memoria nobis erit earum rerum quas aliis obtulerunt. Quae omnia, aliis verbis, artium mundi universi comparatio est, ut auctor in suo opere demons-

trat. Liber rite est exaratus atque imaginibus ex coloribus variis collustratus quae ad notiones celeriter capienda lectores juvant. Qua de causa ex imo corde auctorem laudamus ejusque operi prosperum eventum exoptamus.

ROBERT CONNOR, W. — *Greek Orations*. Edit. Ann Arbor, Michigan, 1966, pags. 224, \$ 5'95.

In hoc volumine lectores invenire poterunt duas virtutes oratorum graecorum: summam artis oratoriae expolitionem vimque pugnas parantem. Nam in civitatibus egenis auctoritate plenisque timoribus proximi tyranni, Philippi Macedonum regis, verba arma praecipua erant. Orator temporum illorum omnibus rebus vitae utitur ad aliquod civibus dicendum. Quamquam orator non semper collineavit, oratoria autem progressa plurimum est. De hac expolitione Professor Connor nobis nonnulla dicit ea que ostendit. In hoc opere auctor optimos oratores eorumque orationes optimas collegit. Ecce breviter partes operis: The funeral oratio of Lysias (9-26); From the Panegyricus of Isocrates (27-39); The first Philippic of Demosthenes (40-55); The Second Olynthiac of Demosthenes (56-66); From the Address to Philip of Isocrates (67-90); The Third Philippic of Demosthenes (91-111); The letter of Philip (112-119); The Debate on the Crown, From the Against Ctesiphon of Aeschines (120-150); The Funeral Oration of Hyperides (210-219); Suggestions for Further Reading (220-221); Chronological Table (222-224); Salutem plurimam Professori Connor dicimus prosperumque eventum ejus operi exoptamus.

WALDOCK, A. J. A. — *Sophocles the Dramatist*, Edit. Bentley House, London, 1966, pags. 234, 25 s.

Professor Waldock in libro theatri tragici lucubrationem criticam nobis dat. Auctor attentionem ad fabulas Sophoclis convertit ne in materiis amplissimis laboraret. Fabulae autem poetae graeci dicendi genus, cogitatorum claritatem atque motus animi omnium aetatum scholasticis servant. Ad haec omnia enim rite intelligenda, auctor librum divisum in duas partes lectoribus monstrat: primum Professor Waldock lucubrationem criticam lectoribus ostendit: The Historical Method and its Limitations (1-10); The Documentary Fallacy (11-24 págs.); Pattern-Making (25-36); Aristotelia Dicta: Catharsis (37-48). Denique auctor fabulas critica ratione illustratas nobis offert: Diptych' Play: The AJAX; Sophoclean Melodrama: THE TRACHINIAE; Romantic Tragedy THE ANTIGONE; Drama of Dramas: THE OEDIPUS TYRANNUS; Doom or Triumph?: THE ELECTRA; Sophocles Improvises: THE PHILOCTETES; Grand Finale: THE OEDIPUS COLONEUS.

Hoc Professoris Waldock opus haud parvum est adjumentum ad fabulas classicas rite ognoscendas.

BEAZLEY, J. D. — ASHMOLE, B. — *Greek sculpture and painting*, Edit. Bentley House, London, 1966, páginas III, \$ 7'50.

Hoc opus de arte Professorum Beazley et Ashmole lucubratio est quae complet ipsius materiae librum ab eis quoque exaratum anno 1932. Qui Professores in illo libro cui in-

dex: GREEK SCULPTURE AND PAINTING nunc lectoribus ipsum volumen sed plenum novarum imaginum offerunt. In hoc opere Graecorum ars ex origine usque ad novissimam aetatem Graeciae sub Alexandri dominatione revelatur.

Professores scitissimis librum documentis atque investigationibus refertum scholasticis porrigunt.

Propter copiam rerum atque cognitionum et accuratum laborem professorum et alumnorum hunc librum legere interest.

RUDD, N. — *The Satires of Horace*, Edit. The Syndics of the Cambridge University Press, Cambridge, 1966, pág. 317, \$ 9'50.

Hoc opus studium est historiae satirarum modique eas judicandi. Quod primum in Britanorum lingua scribitur ad satiras penitus pervestigandas.

Critica in investigando ratio professoris Rudd et structurarum analysim et satirarum dicendi genus et in primis aestimationem variorum sonorum includit. Elementa satirarum historica ostendunt similitudinem Horatii cum antecessoribus praesertim cum Lucilio. Professor Rudd docet quomodo Horatii satirae quamdam traditionem sequantur ac quomodo haec traditio ex hiis satiris oriatur. Hoc opus ampla est introductio et utile adjumentum scholastiis dissentibus linguam latinam aliasque litteras; neoclassicas in primis in Gallorum aut Britanorum linguis conscriptas.

Professor Rudd ex amplis suis studiis translationes recentibus scholasticis humaniter offert.

D. MOSAKA, C. M. F.

ALFONSI, L. - ARICO, G. — *Vates Maro, antologia vergiliana*, p. 213., Ed. Manfredi. Palermo, 1966.

Laudandos auctores credimus. Hi enim duo litterarum latinarum magistri, erga Vergilium pietate impulsi librum hunc edidisse videntur. Latens Vergilii anima per graviora vatis carmina tenera humaneque sollicita patet. Magistri singula fragmenta diligenter examinant et commentantur. Brevi atque completo prooemio, cui quaestio historica et maxime Vergilii propria mens est, auctores ad poematum pulchritudinem fruendam lectorem inducunt.

GOELZNER, H. — *Dictionnaire latin-français*, 690 pag. et français-latin 638 págs. Ed. Garnier-Flammarion, Paris, 1966.

Gallis latinae linguae studiosis maximo erit commodo hujus lexici nova editio; etsi aliquantulum nobis non placeat nunc opus in duo volumina divisum esse, perutile tamen auxilium exstat.

Haec nova editio omnia in usu verba usque ad saeculum IX amplectitur; cui adjungi debet adjetivorum graduum tabula omniumque vocum tam communium quam propriorum.

Domum editricem Garnier-Flammarion, ejus in re asiduo labore credimus laudandam.

ROSALES, L. — *El sentimiento del desengaño en la poesía barroca*, 379 págs. Ed. Cultura Hispánica, Madrid, 1966, 250 ptas.

Vates tantum de hac poetica quaestione disserere poterat. Sed auctor-poeta, modo tam nitido agit,

eiusque discrimen tam recte a vero fictum sejungit ut studiosus hoc rei suavitate capiatur. Poetarum aetatis nostrae aureae nondum comperti novi aspectus praebentur, ut sunt: de re publica satirae, et carmina maritima romanensia. Auctor quoque nitidum redit hispanicorum poematum lyricorum commercium cum lyricis lusitanis saec. XVII.

Liber etiam alteram continet partem, qua de variis poetis et pictoribus agitur. Extremi libri duo capita, quibus est index "El vitalismo de Velázquez" et "Ante una estética vital" magni sunt pretii; eis enim agitur de maximis inventione hujus artis quae baroca dicitur, quae inventio "vitalismus" appellata ets.

Rosales, non certe litterarum nescius, in opere quemdam universalem odorem effundit.

MAES, L. Th. - PIERARD, L. - TELIER, E. — *Atlas d'histoire*, 52 pag. Ed. Maison d'éditions Vesmael-Charlier, Namur, 1966.

Singulae orbis terrae regiones cultusque et generis humani tempora hoc tabularum geographicarum volumine, pulchre depicta sunt et explanata. Aestimandum auxilium auctores orbis universi alumnis obtulisse credimus. Liber sex praecipuis capitibus exaratus est, quibus agitur de dispensatione seu aerarii administratione, de rei publicae quaestionibus tam ad proprias quam ad exteras gentes pertinentibus, de coloniis deducendis aut supprimendis. Opere quoque religiones et humanus cultus accurate describuntur.

Opus, ut credimus, alumnis qui summis studiis vacant omnibusque ci- vibus mediocriter eruditis, adjumento erit optimo.

LLODÍ-JONES, H. — *Los griegos*, 334 págs. Ed. Gredos, Madrid, 1966.

BALSDON, J. P. V. D. — *Los romanos*. 382 págs. Ed. Gredos, Madrid, 1966.

Majores nostri Graecos magnopere extollere nitebantur; nos autem contrarium iter secuti sumus. Forsitan longius ambulemus, studium vero nostrum tutiorem habet firmitatem. Animi fortitudo Graecorum propria est, ideoque fortes animi facilius eos intellegent. Lectoribus haec commen-tatio certissime placebit, auctores enim viam cognoscere videntur propriasque opiniones strenue defendunt, et si aliis opinionibus hodiernis non sint conformes.

Eodem sane laudando consilio sunt auctores impulsi ut nobis fasciculum offerrent, qui, ut nobis videtur, non item est aestimandus quam de Graecis fasciculus superior, ob mediocritatem quamdam et in scribendo celeritatem, tamen maxime quoque opus est laudandum praesertim cum hoc unum propositum habeat quod a Graecis Romanos distincte sejungit.

ISNARDI PARENTE, M. — *Techne* (Momenti del pensiero greco da Platone a Epicuro) 425 pag. 14.500, Ed. La nuova Italia, Firenza, 1966.

Huic commentationi initium est temporis spatum in quo duae notio-nes seu conceptus "episteme" et "techne" patefiunt et una ab altera liberatur. In eo temporum momento quaestio vehementissime agitatur. Auctrix quae praecipue antiquae philosophiae historiae operam navavit, earum quaestionum nonnullos tamen aspec-tus attingit: quaestio enim adeo am-

plissima est ut posterioribus studiis indagatio remaneat.

MONS. URTASUM, MONS. CHARUE, MONS HUYGHE, etc. — *Los religiosos hoy y mañana*. 205 págs. Edit. Estela, Barcelona, 1966.

De vita religiosa, sive de ejus funda-mentis theologicis, sive de ampliore communicatione in vita Ecclesiae cet. abundantius hodie scribitur.

Episcoporum et theologorum manus hoc opus, cui est index: "Los religiosos hoy y mañana" in lucem edidierunt cum sancta Vaticani II Synodus celebraretur. Auctores tantum volebant, pro suis viribus, statum quaestionis illustrare; vitae religiosae, asserunt, suprema regula Christi Evangelium est; ex hoc colligi potest firmitas eorum doctrinae quae doctrinae Concilii similis est, duae enim in Evangelio radices habent.

Auxilium aestimatione dignum aucto-res attulisse credimus.

P. HERRANZ, C. M. F.

STENICO, A. — *Roman and Etruscan Painting*, 176 pp. Edit. Weidenfeld & Nicolson, London, 12/6 net.

Opus duabus partibus conflatur: arte etrusca et arte romana. Auctor quasdam imagines ex utraque selectas, oculis nostris blandiri voluit, ut quid fuerit momentum horum humanorum cultuum in alios populos lectores per-cipient. In amplissima praefatione, quae 41 pagellis constat, quid unius-eiusque humanitatis sit proprium mostrat. Ad artem etruscam recte intellegendam, artis graecae orientalis, jonicae et athicae momentum ante oculos habere debemus. Ad artem vero romanam recte intellegendam Graecorum et Romanorum cultum et

humanitatem, varias in Pompeii imperio pingendi rationes et picturarum illius temporis fontes, vitam quietam, morem hellenisticum, romanorum in arte judicium opera tessellata revocat auctor.

Volumen professoribus et alumnis permultum inservire potest atque eis ad majorum cultum recte percipendum juvare potest.

LIMET, H. - LIMET, J. — *Latin, première année, deuxième année, y troisième année.* 274 pp.; 230 pp.; 262 pp.

BODSON, A. — *Vocabulaire Latin* (complément aux trois tomes du Cours de Latin de H. Limet-J. Limet), 48 pp. Edit. Sciences et Lettres, Liège, 1965.

Hanc grammaticam anno 1956 in vulgus auctores jam dederunt, sed nunc, paedagogorum investigationibus recentibus aestimatis, quaedam mutarunt: alumnis textus et locutiones proponuntur siveque ii manu ad regulas ducuntur; grammaticae elementa alumnus ex textibus adhibitis ediscit; versio alumnorum animos fere omnino occupat; voces, quas memoria retinere alumni debent, etiam numero paucae sunt; carmina, textus, notiones et dicta, alumnis intellectu difficilia, non seliguntur. Auctores Romae historiam, ab Eutropio scriptam, sicut exercitia per pagellas dispergiuntur, ut alumni quae Romanorum vita fuerit scient.

Primo quidem volumine declinationes, adjectiva, verba... alumnis explicantur. In fine libri textus ex Romae historia selecti ratione temporis memorantur, atque dicta quaedam per pagellas distributa in appendice colliguntur.

Secundo volumine Titi-Livi, Cae-

saris, Ciceronis, Cornelii, Nepotis. textus atque Iphaedri fabulae discipulis dantur, siveque syntaxeos elementa alumni ediscunt. Possumus dicere hoc volumen ex textibus tantum confectum esse.

In tertio volumine eandem rationem auctores sequuntur.

Ut operis appendix nobis parvus offertur libellus, in quo voces et vocabula per volumina disseminata iterum memorantur, "ut alumni tempus facilius agant", affirmant auctores.

Haec linguae latinae docendae ratio nobis valde placuit, quod ea permultum puerorum menti aptari nobis videtur atque nimiae regulae vitantur. Auctoribus laudes dicamus.

GHISELLI, A. — *M. Tulli Ciceronis, Pro M. Aemilio Scauro Oratio*, introduzione, testo critico, traduzione, note, pp. 144, Edit. Prof. Ricardo Patron, Bologna, 1966, L. 1900.

Orationis Tullianae Pro Scauro editionem accuratiorem Fr. Schöll Teubnerianis typis (Lipsiae 1919) paravit. Quam nunc A. Ghiselli nobis praebet editionem, sine ulla dubitatione dicendum est multos fecisse progressus. Palimpsestus Ambrosianus iterum sub judice positus est, quod ex eo magnum fructum ad hanc editionem conficiendam reportavit auctor: tres novas lectiones.

Duplex orationi Tullianae praecedunt praefatio, quarum in alia, italice scripta, quibus diebus dicta sit ostenditur, variis opinionibus et factionibus civitatis consideratis, pluribus locis ad novam quandam interpretationem investigatis; alia, latine scripta, verbis elegantissimis ad textum spectat. In ultima parte libri multae annotationes, utilissimae quidem, sunt, quae ad historiam, ad philologiam, ad linguam referuntur.

TRAINA, A. — *Comedia* (antologia della Palliata), pp. 186, Edit. Casa Editrice Dott. Antonio Milani, Padova, 1966, L. 2500.

In his selectis scriptis quaedam capita ab Alphonso Traina in "Antologia della Letteratura Romana I" antea vulgata, colliguntur. Anno 1917 separatis in vulgus edidit, et nunc nomine "Palliata" lectoribus dat. Qui-dam ex poetis hic memorati ab auctoribus vel nunquam vel jam dudum explicati sunt. Haec duo intendit auctor: textus mutilos facilius explicare et utilitati ad linguam latinam "arcaicam" cognoscendam discipulis esse. Alias auctor quaedam verba adnotat ad voces similes explicandas ut argumentum ex quo fragmentum hoc avulsum est recognoscamus et quo modo per annos ipsum argumentum se evolverit intellegamus; alias notas scribendi ad artem spectantes adjungit.

In alia ampliore praefatione quid "Palliata" in Romanorum litteris et historia momentum fuerit auctor explicat potius, quam quae de theatri latini ratione alii scriptores dixerint; in aliis praefationibus scriptorem inchoat atque in tali scribendi vel dicendi genere eum collocat. Quam ob rem hoc opus, in quo propria clari Traina professoris sententia describitur, ad "Palliatam" fovendam et collendam magnopere viris studiosis inservire potest.

COVA, P. V. — *La critica letteraria di Plinio il Giovane*, pp. 150, Edit. La Scuola, Brescia, 1966, L. 1800.

Hoc opere auctor Plinium judicare minime vult, sed potius ejus de elegantia in scribendo doctrinam monstrat et exponit. Plinius enim, vir valde eruditus in philosophia, litteris et

aetatis suae humanitate, nobis in variis operibus quae de aequalibus scriptoribus et viris eruditis senserit dicit. Quamquam in negotia rei publicae et fori incubuit, tamen artem dicendi non praeternissit, et in ea omnino eminuit, sicque artem loquendi et publica negotia in se mire conjunxit. Quam ob rem Plinium magnum de moribus criticum habemus, atque in omnibus scriptis ut vir egregius declaratur. Hunc libellum ad Plinii mentem cognoscendam utilem esse censemus.

MARTÍN TORDESILLAS, A. M. — *Tito Livio, Ab Urbe condita*, libro XXV, 181 pp. Edit. Gredos, Madrid, 1966.

Hic libellus, tertio jam editus, lectoribus librum XXV Titi Livii operis "Ab Urbe condita" vult offerre. Omnibus valde nota sunt elegantia, apparatus criticus et utilitas textuum, qui alumnis in hac collectione "Textos clásicos anotados" vulgantur. Libellus his dotibus minime caret. Quam ob rem auctricem laudamus. In fine libri aliis geographicorum et clarorum virorum nominum index et aliis mythologiae et Romanorum morum exhibentur.

LÓPEZ RIOCEREZO, J. M.^a, OSA. — *La Televisión, nuevo método de enseñanza*, 170 pp. Edit. Studium, Madrid, 1966.

Josephus María López Riocerezo, in rebus paedagogicis peritissimus atque libris et operibus notissimus, hoc volumine parentibus et magistris ut pueros in televisione contemplanda educare sciant elementa dare intendit.

Omnis scimus hoc communicationis instrumentum ad hominem integre erudiendum multum juvare et nostris

diebus ab omnibus magni haberi debere. Praeterea televisio ad puerorum animos alliciendos adjumentum praeципuum pene est, atque pueri, rebus visis capti, ad ea trahuntur.

Tamen haec capita notamus: "La televisión, nuevo método de enseñanza"; "Los niños, extraordinarios espectadores de la televisión"; "Lo que debe ser la televisión"; "Hay que enseñar a los niños a ver la televisión"; "Poder maléfico y demoledor de la televisión". Haec omnia nostra valde interest ante oculos habere.

JENNINGS, P. M. — *Audio-visual Aids*, 70 pp. Edit. Centaur Books LTD, England, 1966.

Hic index, anno 1951 a Domino J. A. McC. Creighton editus, nunc, anno 1966, a quibusdam Societatis "Visual Aids Committee" sodalibus iterum editur. Huic vero indici novae "audio-visuales" res adduntur, quae in superiori minime erant. A scriptoribus rationes et media ad agendum magni habentur, quod alumnis et magistris magnae ad lectiones tradendas et discendas utilitati sunt.

J. I. LATÓRRE, C. M. F.

CHILTON, C. W. — *Diogenis Oenoandensis. Fragmenta*. Bibl. Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana. Lipsiae in Aedibus B. G. Teubnerii MCMLXVII, pp. XVIII-106 cum duobus tabulis.

Habes hic, in hoc fasciculo, Diogenis Oenoandensis, ignoti fere philosophi, fragmenta graeca, ad philosophiam Epicureorum plane attinentia, recens in Bibliotheca Teubneriana recepta. Ut mos est in aliis hujus bibliothecae fasciculis, praeter praefationem de historia textuum et conspectum studiorum ad rem spectan-

tium, continet hoc volumen fragmenta usque modo inventa hac ratione ordinata: *Exordium; A. Diogenis de natura rerum liber; B. Diogenis de innumerabilitate mundorum epistula ad Antipatrum; C. Disputatio ethica; D. Sententiae variae; E. Scripta varia; F. De senectute*. Opus clauditur indice, quo variae editiones inter se conferuntur, et indice nominum et verborum. Complementum operis sunt duo tabulae: in altera describitur murus ubi aliqua fragmenta inventa sunt, in altera inscriptiones quaedam lectoribus proponuntur.

BÜCHNER, K. — *Studien zur römischen Literatur*. Band VI: *Resultate römischen Lebens in römischen Schriftwerken*. Franz Steiner Verlag GH BH, Wiesbaden, 1967, pp. 196 in-8°.

Hoc sextum volumen clm. professoris Büchner continet quaestiones quasdam quae ex lectione et explanatione nonnullorum scriptorum latinorum enodandas ortae sunt, scilicet: Fabula et historia apud Naevium (pp. 9-25), Animi corporaque apud Lucretium (pp. 27-45), Servitium et otium in *De re publica* Ciceronis (pp. 46-64), Justitia in Ciceronis *De re publica* (pp. 65-82), Cicero et Panaetius (pp. 83-92), "Quam verissime potero" apud Sallustium (pp. 93-111), Verum in narratione sallustiana (pp. 112-137), Horatii Sat. I, 6, 62-71 (pp. 138-153), Varia Vergilia na (pp. 154-172), Galba anachronismi exemplum (pp. 173-187). Est quidem hoc sextum volumen complementum priorum voluminum, eorum praesertim quae Lucretio, Ciceroni, Horatio, Tacito dicata sunt. Auctor vere callidum et argutum in enodandis quaestionibus se praebet.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

B I B L I O G R A P H I A

WAGNER, N. — *Getica. Untersuchungen zum Leben des Jordanes und zur frühen Geschichte der Goten: Quellen und Forschungen zur Sprach- und Kulturgeschichte der germanischen Völker* 22 (146). Walter de Gruyter, Berlin, 1957, pp. XII-280.

Hoc opus, magni quidem ponderis, ad licentiam in universitate Würzburgensi obtinendam, anno MCMLXV auctor obtulit; nunc vero in bibliotheca fontium et disquisitionum ad linguam et historiam germanicam pertinentium receptum, Berolini recens editum est ab Aedibus ubique terrarum notis. In eo auctor magna diligentia colligit testimonia de vita Jordanis et de ejusdem *Historia Gothorum*; inquirit postea de Gothis in Britannia; demum impensis investigat patriam Gothorum primam. Fontes adducuntur et auctores ad res singulas confirmandas. Inter auctores vim magnam in hac re tribuitur clmo. Menéndez Pidal, cuius nomen in paginis 98-101 semel iterumque inscriptum videmus. Conspectus bibliographicus copia et praestantia operum maxime laudandus.

DER KLEINE PAULY. — *Lexikon der Antike* bearbeitet und herausgegeben von KONRAT ZIEGLER und WALTER SONTHEIMER. 12 Lieferung, Spalte 833-1280; *Gnosis, Gnostiker - Hypocaustum*. Stuttgart, ALFRED DRUCKENMÜLLER, 1966; DM 30. — 12 Lieferung, Spalte 1281-1584; *Hypokrites - Juno*. *Ibid.* 1967; DM 20.

His duobus fasciculis clauditur volumen alterum hujus operis, quod,

potius quam *Magni Pauly Lexicon* diminutum et breviatum, novum opus est compendiōse quidem sed ex integrō confectum, ita ut res et notio-nes antiquitatis classicae ad statum nostrae aetatis et scientiae accommodatae sint, immo in eo invenies voces quae nullo modo in *Magno Pauly Lexico* recensentur. Voces ad praecipuas disciplinas antiquas pertinent, ad historiam, ad geographiam, ad scientiam sermonis, ad artem poeticam, ad mythologiam, ad scriptores et litteras antiquas, ad rem militarem, ad institutiones graecas et romanas, ad humanitatem, ad religionem. Inter alios maxime placet articulus, cui titulus est "Homerus" a clmo. viro Albino Lesky confectus. Ad calcem uniuscujusque vocis (cf. ex. gr. vocem "Ilerda") praecipua bibliographica subsidia inveniuntur.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

LIBRERÍA HERDER, *Boletín de Filología Clásica*, n. 15, Abril, 1967, Barcelona, 1967, 16 p.

In hoc' fasciculo domus librariae "Herder" lector compendium librorum scitissimum inveniet. Adjumentum, quod hoc fasciculo fit, magnificum est. Propter hunc fasciculum ad lectores optimum opus exornatum clarissimis lucubrationibus sine dilatatione pervenit. Verba, quae ponuntur post tergum primi folii atque in prima facie secundi folii, lectoribus legenda sunt ut editores librarii opera expostulata ad ipsos opportunemittenda current. Gratias librariis agimus plurimas.

D. MOSAKA, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"
venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET
LAURIA, 5 BARCELONA (10)

| | | |
|--|-------|----|
| JIMÉNEZ, Grammatica Latina ... | ptis. | 60 |
| " Repetitorium ... | " | 60 |
| " De Orthographia latina (altera editio) ... | " | 20 |
| " Index Orthographicus ... | " | 5 |
| PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio) ... | " | 90 |
| "TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI | | |
| JIMÉNEZ, Historiae Sacrae compendium (5 edit.) ... | ptis. | 10 |
| " Epitome Historiae Graecae (6 edit.) ... | " | 12 |
| * RAMOS, Cornelii Nepotis Vitae ... | " | 10 |
| * MIR, Ciceronis epistulae selectae (2 edit.) ... | " | 12 |
| * JIMÉNEZ, Ciceronis pro Archia poëta (2 edit.) ... | " | 10 |
| " Ciceronis in Catilinam (2 edit.) ... | " | 10 |
| " Caesaris, De bello civili ... | " | 10 |
| RAMOS, Ciceronis pro Q. Ligario oratio ... | " | 10 |
| MARTIJA, Vergili Aeneidos (lib. II, 2 edit.) ... | " | 12 |
| MARTIJA, Prudenti Carmina selecta (2 edit.) ... | " | 10 |
| SARMIENTO, Martialis Epigrammata ... | " | 8 |
| * ZULOAGA, Horati Carmina Selecta ... | " | 12 |
| RUIZ, Homeri Odyssea (lib. I) ... | " | 14 |
| RAMOS, Xenophontis Anabasis ... | " | 12 |

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, pesetis 6

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissar:

- 161 Lluciá - Obres (vol. I)
 162 Suetoni - Vides dels dotze Cèsars (vol. I)
 163 Xenofont - Opuscles (vol. I)
 164 Xencfont d'Efes - Efesiàques

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA